Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Gerhard

Commentatio Perbrevis & perspicua In Apertorium Raimundi Lullii, verorum Philosophorum facile Principis De Lapide Philosophorum

Tubingae: Brunnius, 1641

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788378279

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

D. Pr. 367. p. 1 mbl
D. Pr. 96. p.
195. p.

Pd-3078.1-3

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn788378279/phys_0002
DFG

81. l. 12

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788378279/phys_0003
DFG

COMMENTATIO
Perbrevis & perspicua
In
Apertorium Raimundi Lullii, verorum Philosophorum facilè Principis.
De
LAPIDE PHILOSOPHORUM.
Cum
Adjectâ Interpretatione Testamenti Novissimi, ARNOLDO de Villâ Novâ, attributi.
De
EODEM LAPIDE
Autore
JOHANNE GERHARDO D.
& Medicinæ Practicæ Professore publico & ordinario in Academiâ Tubingensi.

Rom. 1.
Invisibilia DEI. à Creaturâ Mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.

TUBINGÆ Typis Philiberti Brunnii,
ANNO M. DC. XLI.

Nobilibus, Excellentißimis & Clariſſimis VIRIS.

DN. JOHANNI SEBASTIANO BLOSSIO, Philoſophiæ & Medicinæ Doctori, Reipubl. Ulmenſ. Phyſico ordinario & Profeſſori publico.

DN. JOHANNI CHRISTOPHORO Eyſenmenger / Philoſophiæ ac Medicinæ Doctori, & Reipubl. Heilbrunnenſ. Phyſico ordinario.

DN. JOHANNI ANDREÆ HESSO, Medicinæ Candidato & Chymiatro, p.t. Conſiliario & Secretario Brandenburgico.

DN. FRIDERICO GREIFFIO, Medicinæ Candidato & Chymiatro;

Dominis Amicis & Affinibus ſuariſſimis, colendiſſimis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788378279/phys_0006
DFG

QUemadmodum alii aliunde, ita ego plerunq; ex ipsis literis remissionem peto literarum: & quam ex intentione animi molestiam haurire soleò, eam in voluptate Studiorum depono, quorũ oblectationes ipsa eorum cùm dignitas tum amœnitas suppeditat. Subit nonnunquam jucunda recordatio, eos in familiari nostro colloquio incidisse sermones, qui Chemici studii dignitatem pariter & utilitatẽ plurimùm commendarent. In quo cum Vos Viri Præclarissimi non sine fructu versemini, operæ precium me facturum arbitratus sum, si duas hasce Commenta-

mentationes patrocinio vestro committerem, partim ut affectus mei in vos indices, partim ut humanitatis vestræ monumentum, quâ me non semel à vobis comiter exceptum memini. Hanc opellam meam si benevolè acceperitis, abundè mihi satisfactum existimabo. Valete. Tubingæ 6. Maij. Anno 1641.

Vester ex animo.

JOHANN. GERHARD, D. & Profess. Medic. Practic. publ. & ordin. p. t. Academiæ Rector.

Ad

Ad Lectorem Benevolum.

DE vero scriptorum Chemicorum intellectu, Lector Benevole, & perpetuo eorum consensu, pauci pauca; cum tamen id scire, ad assequendum summum illud Naturæ mysticæ Magisterium, omninò sit necessarium: tum, quod indignum sit Philosopho, propriam suam non intelligere professionem, & de eâ cum aliis Philosophis conferre secundum artem non posse; tum verò maximè, ut dextrè intellectis Libris, admirabilem illum videntes consensum, nostram benè fundatam intentionem confirmare, & artem inventam eò melius, dum cum Philosophis loqui discimus, tegere valeamus. Et sanè, ut aliqui arteſtantur ex numero Philosophorum, qui primùm legunt scripta Philosophorum, ij statim omnia sibi pervia esse persuadent, & nullum obstaculum, nullum offendiculum, in totâ arte quisquam ipsis objicere potest, quod non mox diluere, & alios insuper melius & rectius instruere super his videantur: Vbi verò semel atq; iterum res ad Experimentum adducitur, ibi error, hæsitatio, fluctuatio, tenebræ, contradictiones, diversitatesq; infinitæ his sese offerunt, adeò, ut tandem, ad desperationem quasi adducti, valedicturi videantur huic arti, quam ab initio quasi deglutiverant jam, & in eâ, vix dum Discipuli, in Doctores evaserant. Hæc autem cùm proveniant ex sinistro intellectu Librorum Chemicorum; idcircò nos cupientes pervia facere & Scripta & Artem, monstrabimus hîc breviter & per-

spicuè, quoad ejus fieri potest, Rationem intelligendi simul & causas difficultatis omnis. Duo autem sunt, quæ a Philosophis præcipuè in Libris suis traduntur de rebus Chemicis, capita, videlicet MATERIA PHILOSOPHICA, quam & Azot, Magnesiam & Mercurium Philosophorum, appellant: & secundò, EIVSDEM MATERIAE CONFECTIO: & Confectæ PERFECTIO in Igne. De quovis singulariter dicere & tractare non est opus, cum demonstratio difficultatis in intelligendo, & ipsa Philosophorum Harmonia, hæc utraq; nobis sufficienter sint explicatura. Primaria Difficultas, quâ in Philosophicorum Scriptorum Intellectu impedimur, est Methodi peregrinæ Vsus. Nam non tractant Philosophi artem suam Methodo ullâ, artibus aliis usitatâ: Non enim vel Syntheticâ, vel Analyticâ utuntur methodo. Vtuntur autem ferè & consimili methodo, quâ politiores Historici, qui unius alicujus illustris Personæ narrare historiam sibi proponentes, eam plerunq; exordiuntur, non naturali ordine, à Personarum parentibus, ortu, educatione &c. sed quasi interruptâ methodo, à medio totius Historiæ cursu, ordiuntur; & postea paulatim ad priorum narrationem progrediuntur, quâ absolutâ, ea quæ porrò sequuntur, absolvunt: Sic Virgilius introducit Aeneam, Didoni, post naufragium, cursum prioris vitæ, & status, Patris amissionem & conjugis narrantem: ipse autem Virgilius Historiam ab hisce non orditur, sed quasi in medio Historiæ exordium sumit. Ad eundem propè modum, & hujus Artis Scriptores SVA MYSTERIA enarrare consueverunt. Et cum dicant, in solius Materiæ Veræ & propriæ

propriæ cognitione cuncta esse recondita, mirè suspensos tenent Lectores & Discipulos, exspectantes nimirum, mox talem Materiæ definitionem, quâ, quæ pigmenta assumenda, & quâ ratione præparanda & ponderanda sint, intelligant: Atqui licet totius negotii & artis exordium spopondisse videantur, ipsam Mediam Artis Materiam definiunt, eamq; sic, ut simul verè sit definita, & nulli interim rei, aut materiæ in toto Mundo prorsus conveniat. Hinc per conjecturas (dum nihil congruere vident) assequi student Veram Materiam hujus artis discipuli, & modo hanc, modo aliam eligunt materiam, utut tamen faciant, semper in Definitionem Philosophicæ Materiæ impingunt. Causa autem est ea, quod Philosophi non definire consueverunt materialia illa, quæ primitùs, & pro remotâ materiâ, sunt assumenda, digerenda demùm, præparanda & habilitanda ad REDITVM ad illam VERAM & VNICAM (compositam tamen) Philosophorum Materiam primam. Physicè autem suam considerantes & describentes materiam, eam definiunt, quæ Verè Prima & est, & dicitur materia generabilis alicujus, quam & Aristoteles, & quivis alii definiverunt, esse Talem, ex quâ statim, non intercedentibus aliis mutationibus, vel hoc vel illud efficitur. Quâ definitione, qui Lapidis Philosophorum materiam definire vult Physicè, certè non ex Auro, non ex Argento, non ex Sulphure, non ex Argento vivo, aut ullo deniq; alio, definitionem mutuare potest. Ideoq; cum maximè physicè hæc Ars, omnium Physicarum Ornamentum & Coronis, procedere cupit, observat Definitionem Materiæ Veram diligentiùs, quàm unquam Phy-

ſici facere aliàs ſolent, imò nec & ipſe Ariſtoteles. Videmus enim ipſos, ultra ſuam materiam, formam & privationem, elementáq; quatuor (quamvis & hæc ipſa excludant) nihil pro principiis & materiâ ſtatuere, & nullius rei generabilis materiam proximam & propinquam explicare. Quod cùm à communiter Philoſophantibus (tanquàm difficilimum) hactenus ſemperfuerit neglectum, factum eſt, ut exclusâ, ex alterâ parte, primâ illâ informi: & ex alterâ, hâc propinquiſſimâ, ad intermediam materiam, quam remotam dicere poſſes, lapſi, hanc pro illâ nobis conſiderandam tradiderint, penitusq;, ſed non philoſophicè, illam VERAM rerum MATERIAM, ex quâ rerum proprietates & effectus procedunt, eliminarint. Sic ſi à Phyſico petas, quænam hominis ſit materia propinqua, hominem, ſi pyri, pyrum, ſi grani granum, & ſic deinceps dicent: Idq; quidem haud malè, cum remota ſit, at nondum eſt proxima. Apparet autem, & Ariſtotelem & ejus Aſſeclas, hanc ipſam propinquæ materia definitionem, hactenus non obſervaſſe. Hinc igitur fit, ut & vulgus, & eruditiores Philoſophantes, Ariſtotelicis adhærentes, dum de alicujus ſciſcitantur materiâ, mox remotam illam, omnium PRIMA poſteriorem, quam intermediam diximus, monſtrari ſibi cupiant. Qui verò Doctiores ſunt, & Platonicâ imbuti Philoſophiâ, & huic noſtræ præſertim addicti, ii longè acutiùs cernunt, & primam ſuam acriùs perquirunt MATERIAM: eam nempe, ex quâ ſtatim, non intercedentibus aliis mutationibus, hoc vel illud efficitur. Iam verò, cum certum ſit, Philoſophorum Lapidem nondum eſſe talem Lapidem Philoſophorum, niſi prius

omnia

omnia ea requisita, quæ à Philosophis ponuntur (quoad scil. Ingressum, Affinitatem, Subtilitatem, Perfectionem exuberantem, Fixionem, Colorem intensum, Fusionem velocem) ACTV IPSO possideat: & vera materia Vnico tantum gradu (ut nulla, nisi postrema, intercedat ad perfectionem ipsam, mutatio) distet à Fine: tum certè omnes materiæ, eorumq; & alterationes & dispositiones quæcunq;, PRIMA LAPIDIS MATERIA dici non merentur, nisi ad penultimam mutationem sint deductæ. Et in hâc requiritur, ut propinquissimâ potentiâ, materia illa, ad tingendi & fermentandi vim sit disposita, & sibimet conjuncta. Secundum hanc rationem, definiunt Philosophi Materiam Lapidis & Naturæ, esse Argentum vivum animatum, cum suo proprio agente conjunctum, jam omnia suæ profectioni necessaria in se habens. Argentum vivum dicunt esse, quoad substantiam, sed idem animatum, idq; propterea, ut hôc ipsum vulgare rejiciant argentum vivum, quod vel in centesimum usq; annũ excoctum, nec in Lapidem, nec in Metallũ transformatur, quia nondum suis gradibus (compositione, alteratione, mixtione, ingressione seu unione) quos Bernhardus Comes, & alii docent, est dispositum. Animatum dicunt etiam, ideò, quia anima, quæ in corpore materiæ remotæ erat sopita, & crassiore Corporis mole oppressa, jam liberata per Spiritum, cum illo conjuncta, volare cupit, vivens interim, & parata, opus suum fermentando, si juvetur calore debito, perficere, suumq; corpus, quod sine perfectâ animæ & arctissimâ unione & conjunctione, imperfectum est & maneret, vivificare: In hac ergò Definitione describitur materia, non

primitùs assumenda, non ea, quæ putrefacta & denigrata adhuc, varietatéq; colorum infecta, sed ea, quæ jam, post hæc omnia, sordes suas in putredine obortas, ablutione separavit: & jam candida est, inq; quâ hoc solummodo residuum est, ut anima seu abscondita Tinctura firmetur cum suo corpore & Spiritu, & ita uniatur, ut penè vim habeat insigniter penetrandi, & ab igne nunquàm refugiendi. Et tum consideratur hæc materia, quando in propinquo hæc sunt omnia, & hoc Vnicum postremum modò dictum requisitum restat. Hic ergò sunt jam omnia Elementa separata, depurata, & rursus conjuncta, in Aqua enim & Terrâ, in nigredine, & in Aëre & Igne, in albedine, separatio omnis impuritatis facta est. Hinc Spiritus cum corpore conjunctio fieri non potest, nisi omnia prius perfectè fuerint depurata. Res, per Descriptionem ipsius Conjunctionis, magis patebit. Conjunctio autem est omnium & Elementorum Lapidis, & reliquorum ad ipsius integritatem pertinentium, firmissima & indivisibilis Vnio: post hanc Conjunctionem, Res facilior non est hac arte, utpote, postquàm Elementa non amplius sunt volatilia, nec combustibilia, sed unum quid perpetuatum. Dum igitur hæc ipsa fit conjunctio, Materia Philosophica quàm verissimè definitur. Perinde ac si quis frumenti materiam non definiat esse granum, sed id, quod post putrefactionem, quæ fit in terrâ humidâ, germinare incipit, ut doctè idem exemplum hûc applicat Bonus Ferrariensis: Aut, si quis ad hominis generationem, materiam necessariam non definiat Marem & fœminam, neq; eorum spermata, sed Embryonem, jam unitum & conjunctum è duobus spermatibus,

bus, & dispositum ita, ut necessariò jam humana forma superveniat. Quo Exemplo, Bernhardus Comes Trevisanus, & VVilhelmus Parisiensis, Sapientißmi viri, ad declarandam veram nostram materiam sunt usi. Hinc (ad confirmandum hujus veræ & propinquißimæ nostræ materiæ descriptionem) toties monet Bernhardus, materiam debere esse non tantum Sulfur & Mercurius simpliciter intellecta, sed unita, conjuncta, & ita, ut neutiquam sibi abesse possint: Item dicit idem & allegat Ahimaleti dictum, è Turbâ desumptum; Coquendum esse servum rubeum cum alba sorore, donec convertantur in aquam permanentem, hoc est habentem in se omnia sibi necessaria; & quæ tum, & non aliter, sit nostra Materia. Quod etiam Zacharius & alii complures Philosophi asserunt, ad quorum Lectionem, ne prolixiores simus, quemvis remittimus.

Quiq̃ non habuerit hanc Conjunctionem, & eò usq̃ non pervenerit, nondum certus esse potest, habere se veram Lapidis Philosophici materiam, sicuti nec spermata humana, licet in matrice conclusa, nisi uniantur, & per minima sibimet conjungantur, nondum sunt necessaria hominis aut infantis materia: quia, nisi Conjunctio (quæ non est nuda appositio, sed compositione, Alteratione, Mixtione & Ingreßione constat) intercedat, materia putrida, verminosa, aut alia quædam corrupta substantia, fieri queat. Id Bernhardus expreßißimè docet, quod Materia nostra, nondum posßit veræ nostræ dici materia, nisi per hos modo allegatos gradûs, in Conjunctionem usq̃, processerit. Hæc autem Conjunctio non fit per industriam Artificis, sed nutu DEI, ut ajunt Philosophi, imò in hâc conjunctione,

junctione, quæ quasi Miraculum est, Artifex magis est spectator, quam operator: Rursus autem difficilima dicitur, quod nisi hoc perficiatur, in vanum sint omnes, quicunq; Labores susceptι. Dictum est ergò, quid sit Philosophorum Materia, quo tempore operationis intellecta, & quomodo definita. Facilè igitur jam videmus, Materiam Philosophorum non esse aurum vel argentum vulgi, vel sulphur vulgi, vel aquam nubis, aut quicquam talium rerum, sed esse Materiam, à naturâ quidem separatim creatam, ab arte verò compositam & conjunctam, sic quidem, ut nec ipsa ars Conjunctionem hanc faciat, sed ipsa Natura, id, quod Ars administrat, jam perficit. Hûc ergò qui respexerit, facilè intelliget, quid sit Aqua Philosophorum, nempe, sicca & frigida; quid sit sulfur, arsenicumq;, nempe tinctura rubea & alba, quarum hæc tum temporis in manifesto: illa verò, in occulto est; quid aurum Philosophorum, quid flos auri, quid corpus, quid coagulum, nempe, occulta esse hæc omnia, in materiâ argenti vivi dealbatâ. Intellectâ igitur Materiâ, ut Dionysius Zacharius inquit, jam faciles sunt Libri Philosophorum, & mera in iis Harmonia & Concordantia, nullaq; discripantia apparebit. Nam si ita intelligas, videbis ferè in omnibus esse meras rationales, non reales distinctiones.

Sed ne prorsus, Lectorem Benevolum, dimittamus sine Remotæ (quam pleriq; hactenùs pro proximâ habuerunt, sed falsò) materiæ cognitione, quomodo ea à Philosophis addiscatur, sciendum, quod gradûs à Philosophis, usq; ad eam remotiorem materiam, recenseantur, per quos si retrò descendamus, non possit late-

re

re etiam materia Remota. Generaliter Reductionem ponunt, per quam corpora rediguntur in Arg. vivum, tanquam in primam materiam. Ibi simul & materiam remotã (licet aliquantò obscurius) & agendi modum determinant. Non enim sulfur, non Marchasitam, non media Mineralia, in primam hanc suam materiam reducere jubent, sed corpora metallica, eaq; perfectiora, Aurum nimirum & Argentum, ut Arnoldus & alii quidam, inter quos & Hermes, expresse Solis Lunæq; faciunt mentionem, & horum Reductionis. Reductionem verò definiunt quàm aptissimè per Dealbationem; Dealbate, inquiunt, Latonem rubeum &c. Et: nisi æs album effeceritis, nihil dum efeciſtis. Dealbatio autem est Completio Reductionis, & Finis operis primi. Reductioni alios gradûs substernunt, puta, Calcinationem, (corporis) Solutionem, Putrefactionem, Ablutionem, Incinerationem. Dum enim materia, mediante Aquâ, & ipsa in aquam resolvitur, solutio dicitur, quæ tamen sese extendit, usq; ad supra explicatam Conjunctionem. Durat enim, ut Philosophi ajunt, solutio, donec Conjuges vero Matrimonio copulentur. Dum verò materiæ duæ solutæ, invicem sese amplexantur, & aqua corpori soluto subjacere inchoat, & in terram verti atram & nigram, Putrefactio dicitur, idq; jure, cum Putrefactio fiat naturaliter inter humidum & calidum, interveniente sicco, & exoriente inde alteratione aliquâ retrogradâ: Dum verò igneæ qualitates corporis, magis & magis agglutinant sibi Aquam, & exiccant eam, paulatim variis coloribus amotis, & exiccata magis materia, Ablutio dicitur, quæ propter colorem cineritium, in

Incine-

Incinerationem desinit. Post quam, omnibus sordibus abstractis, geminare dicitur Lapis & oriri, sicut granum aliquod è paleis suis, quas in putredine abjecit, prodiens: & tum est prima Materia orta & nata, ut suprà est explicatum. Hæc est illa Solis Reductio in suam Primam Materiam albissimam. Et in hâc primâ Operis Parte, calor requiritur admodum mitis; cum Elementa nondum sint unita & conjuncta, sed volatilia: proinde cavendum, ne adurantur; cum enim tùm omnia habeant volatilem naturam, fixum unà cum volatili evolaret. Faciunt mentionem erroris quorundam Artificium circa hanc Partem, Ferrariensis & Turba: Quod videlicet aliqui, nimio calore, omnia simul in fugam egerint; alii albedine primâ præsente, eaq; nondum tingente, impatientiâ moræ motos, opus dereliquisse: hi Conjunctionem faciendam non observarunt. Quare, ut verè conficiamus nostram primam Materiam, necesse est, non solum miti uti calore, sed & eam, quando perfecta sit, aut non (h.e. quando verè reducta, & verè sit prima materia) cognoscere, nam si non agnoscamus, non surget hujus loco Lapis alius, ut testantur Philosophi.

Hîc verò Quæstio oboritur, quæ non nullos torsit vehementissime, quam pro posse nostro dissolvere conabimur: Et est ea, utrum videlicet unico & Solo Vase, post primam præparationem, in quâ Compositio sit, omnes operationes, ad Tincturam necessariæ (puta: Solutio, Coagulatio, Ablutio, Fixio, Inceratio &c.) Solo mediante Calore, fieri queant & debeant, aut, utrum (quod Geber innuere videtur) hæ operationes sint singulares, & manibus, separatim unâ ab alterâ, sejunctæ.

sejunctæ? Sanè hæc Quæstio est in causâ, ut multi, aut prorsus aberrarint ab arte, aut Gebrum pro Sophistâ insigni habuerint. Quod enim Geber varios hos ponit labores, ἓν ἁ, primâ fronte, seorsim fieri videntur, huic simpliciter contradicere videntur Philosophi reliqui omnes & singuli, affirmantes, unicam esse operationem, ἐν ἁ unico solo Vase fieri, præter amotionem ab igne, & plures tales modos à Philosophis, ad excæcandum Ignorantes, esse annotatos, ut hoc, & Lullius & Zacharius asserunt, & affirmant in specie, Gebrum non scripsisse hosce gradûs, ut omnes tales in opere, sejunctim in opus, per manuum appositionem, deducantur, sed sub paucis verbis veritatem, quasi sub paleis, occultasse. Sed ut & hanc difficultatem amoliamur vel tandem: Omnium primò respiciendum est, ad Intentionem Philosophorum communem. Nam, quoad Intentionem, ajunt scriptores hujus Artis, omnes Philosophi consentiunt, licet inter se verbis diversi esse videantur: & sub varietate Sermonis, occultè inter se conveniunt. Sic unam & eandem Intentionem adscribere meritò possumus, & à Veritate compluſi, tenemur Gebro cum reliquis Philosophis, quoad Materiam. Ex solo argento vivo facilius & propinquius elici asserit Geber Medicinam, in quo ad superallegatam definitionem Materiæ alludit, in quâ, per ablutionem, post resolutionem, omnia sulphurea sunt separata, & præter meram & purissimam argenti vivi substantiam nihil superest. Consentiunt hîc reliqui omnes Philosophi. Geber dicit; Medicinam hanc esse solam & unicam; Fatentur idem & alii. Purissimam substantiam requirunt Philosophi; Geber ait;

nisi

nisi sit fulgidissima ejus substantia, non tingere posse. Philosophi querunt argentum vivum non vulgare, sed reductum, ut in Definitione explicatum est. Geber verò requirit argentum vivum de argento vivo, & tale argentum vivum quidem, quale à Naturâ & Minerâ est factum; sed in eâ naturâ, ad quam deduxit id artificium nostrum. Volunt Philosophi, argentum vivum non tingere, nisi tingatur fermento sui generis; Idem asserit & Geber, Sulfur rubeum addendum dicens, sed per modum solutionis, ut in cap. de Tinctura Solari Tertii ordinis expressum est. Solutionis Opus secretum esse dicunt, quia ex eo non intelligatur solutio in Aquam nubis (qualis ea, de quâ Geber in cap. de solutione loquitur) sed duarum aquarū Conjunctio. Geber dicit, cum Auro figi Spiritus maximo Ingenio, quod non perveniat ad artificem duræ cervicis. Volunt Philosophi utrumq; volatile esse debere, & solvens & solutum. Geber vult, ut sublimetur Lapis cum additamento, donec & illud fiat volatile, in Recap. artis. Purgari Mercurium dicit Geber per sublimationem: Asserunt hoc & Philosophi. Materiam ut tingat, figi vult Geber, ut impressio ejus maneat. Eadem mens est Philosophorum omnium. Solutiones complures requirunt Philosophi: Vult hoc etiam Geber. Facilem fusionem exigunt: Ita & Geber. Cerationem melius non fieri, quam per Mercurialem substantiam, cum Gebro docent Philosophi reliqui. Oleaginositatem, viscositatem & permanentem humorem cum Gebro omnes exposcunt: Sic & in aliis capitibus hujus Artis. Videmus ergo, quoad Materiam & Intentionem, omnes consentire, & nihil diversum à Gebro statuere: Agnoscere

scere eos, Materiam unicam, argentum vivum, non vulgare, sed artificiale, ablutum, ab omni sorde separatum, & conjunctum suo sulfuri seu Agenti, quod Animatum dicunt: Ad hoc requiri Solutionem, Coagulationem, Fixionem, Creationem & hujusmodi. In hâc Intentione, quoad Finem, nulla est discrepantia: sed, quoad Media, ibi discordare videntur. Nam Fixionem Geber per sublimationem, (quam suo Vase repetere docet, sub capitulo singulari) fieri scribit, sæpius repetitam: Solutiones videtur exigere, quæ fiunt rebus extraneis, in aquâ nubis: Contradicere hîc videntur Philosophi. Atqui, si maximè Geber secundum literam sit intelligendus: tamen nulla est capitalis horum Philosophorum distantia. Nam sublimant & Philosophi, sed non ascendendo à fundo ad caput vasis, sed attenuando & dignificando, ut loquuntur; Sed tamen conciliant hoc ipsum Philosophi doctiores, quæ Gebrum hæc ita scripsisse asserunt, non ut necesse sit, tam laborioso processu, sublimare, solvere, calcinare, figere, sed, ut absterreantur indocti, empirici & ignavi, à tanto Laborum onere, sicut & Arnoldus ait; Quod posuerint Philosophi multa verba, & novos modos operandi, scil. solvere, calcinare &c. in Epistolâ ad Regem Neapolitanum. Proinde idem & de Gebro dici potest. Et consentaneum est, eos, qui de hac Arte, postquam Lapidem jam fecerunt, in scriptis idem reliquerunt, melius & exactius mentem Gebri exponere potuisse, quàm nos: præsertim cum Geber ipse dicat, se sibi soli scripsisse, & occultasse veritatem ibi, ubi maximè visus fuerat apertè loqui. Et cum Geber ab initio suæ Summæ protestetur, se Antiquorum opera &

)?( )(Libros

Libros in Compendium redegisse, credibile est, ipsum ab aliorum antiquorum Philosophorum mente non recessisse. Quod verò protestatur, se absq; parabolis & ænigmatibus traditurum artem, nihil obest; Non enim sublimatio, solutio &c. secundum Philosophos explicata, parabolicè, aut ænigmaticè explicantur, sed paronymicè, pro materiâ videlicet subjecta. Sic Demonstrationis vocabulum aliter competit Mathematico, aliter Disputatori, interim nec allegoricè, ænigmaticè, aut parabolicè. Quare, cum Gebro, apprehendamus Materiam & Intentionem Philosophorum, cum ipso communem, ejus verò Explicationem discamus à Philosophis, viris eruditissimis, & explicatoribus oculatissimis, & cum hisce, in Aquâ nostrâ, faciamus solutiones, Ablutiones, Fixiones, Calcinationes, remotis superfluitatibus, quibus Geber uti videtur. Et quid opus esset, id, quod compendio facere possimus, tantâ laborum ope moliri velle: perinde facturi, ac si Arnoldum de Villâ novâ in secundo Rosarij, sequi conaremur; ibi enim ad infinitos nobis labores usq; pergendum esset. Sequamur igitur Veritatem simplicem, facilem, in AQVA SOLA, quæ corpora sublimat, comburit, resolvit, separat, abluit, conjungit, mortificat, vivificat, incinerat, calcinat, reducit q;, & ad Tincturam resuscitat, quæ sententia, ut simplicissima, ita & Antiquissima est: Cui Aquæ & nos addamus Corpus perfectum attenuatum, quo per eam magis subtile & tingens fiat.

Hucusq;, Lector Benevole, in Tui gratiam, disputatum sit de Materiâ, quam [illegible]riè Philosophi,

losophi, pro propinquissimâ habent & definiunt, ut & de Materiâ Remotiore, & operationibus, quibus ad propinquam deducitur, ex communi tum Veterum, tum Recentium Auctorum consensu. Quibus omnibus dextrè observatis, quivis facilimè scripta Philosophorum, quæ hactenus intricatissima fuerint visa, legat cum admiratione illius, quam porrò deprehendet, facilitatis.

AD

Nobilem & Excellentissimum
VIRUM.

DN. JOH. GERHARDUM,
Medicinæ Doctorem & Professorem
celeberrimum, Academiæ Tubingensis p. t. Rectorem Magnificum.

EPIGRAMMA:

I.

QUæ quondam ex ipsis Phœbi Sophiæq; faviſſis
Naturæq; hauſit Lullius è gremio,
Hæc Meus ille Gener, cui Cæidos aurea proles
Pœoniæ largas contulit artis opes,
Ingenii & calami cura ſolerte retractat,
Quodq; alii celant, ille recludit opus.
Nempe Magiſterium Lapidis Gangetide gemma
Carius, & verè Mercuriale decus.
Cujus in ingenua jamdudum indagine multi
Dilapidantq; oleum, dilapidantq; operam,

Fors

Fors & Fortunas: paucis flos fertilis auri
Hactenus in terris cognitus ille fuit.
Nec tamen hunc cessat virosa calumnia semper
Invidiæ afflatu contemerare suæ.
At tu, Noster Amor, nihil his moveare flabellis;
Nulla potest solis Noctua ferre jubar.
Si, nisi qui fatui mereat suffragia vulgi,
Nemo probatus erit, nemo probatus erit.

Johannes Martinus Rauscherl
Professor Orat. Poëseos & Historiarum.

II.

IGnis inest silici, gemmas vis cœlica replet,
Omnia sunt passim Numine plena suo:
Sustentat totam Verbi vis dædala molem,
Materiamq; suam Spiritus intus alit.
Amens, qui voluit Lapidis cognoscere vires,
Pro Lapide ut patrias dilapidaret opes,

Aut nimis intentus fulvo lapidesceret auro,
Sacrâ percussus pectora cœca fame.
Vt malè damnatos sensit miserata penates
In saxum venas mox riguisse suas,
Et sale mutavit corpus muliebre gelato,
Cari spectatrix fœmina stulta foci.
Aut Midæ auriculas fugiente ostenderet auro,
Cum Regnum amissi fumus & aura tenent.
Felix qui Lapidem propius, veloque reducto
Vidit, & authorem quærit in arte Deum.
Non lucri venator inops, non totus in auro,
Non Metamorphoses cudere velle novas
Sollicitus, finem statuit secum ipse laborum,
Quâ juvet humanum parte vel arte genus.
Quisq; Creatoris metitus singula laude
Nil sibi se plenus vendicat, omne Deo.

Macte operis, GERHARDE, tuis, studioq;, quod urges,
Tu Laurum atq; aurum, quod seris, ipse metes.

M. HENRICUS Schmid/
Diaconus & Professor Græcus.

III.

III.

ELoquar an ſileam ! quis enim modus ille loquendi,
Alter quem laudet, quem crepet, alter erit ?
Maxima conſcribis ; addo : veriſſima dicis,
Quæ ſunt in libris, Docte Gerharde, tuis.
Attamen haud deerunt, quorum cenſura cavillas
Adjunget labiis immoderata ſuis.
Quid tandem ! an ſtolidæ trepidandum ad murmura Turbæ !
Non. Magna eſt doctis ars placuiſſe viris.
Sobria tu tractas venerandi dogmata Lulli,
Et promis quicquid Villanovanus habet.
Hæc prius extinguat Momus duo Lumina Mundi,
Atq; horum errores monſtret ineſſe libris;
Quàm tua docta premat ſtultis monumenta labellis:
Semper ab illorum ſcommate tutus eris.

Johannes Andreas Heßus, Medicinæ Cand. p. t. Conſiliarius & Secretarius Brandenburgicus.

IV.

AN propter ſpinas roſa vivida nulla legatur,
Aut propter virus deſpiciatur apis?

Quod

Quod fumum comitem semper sibi junxerit ignis,
Hujus an egregius non tamen usus erit?
Lullius atq; Geber, Theophrastus & Ipsemet Hermes
Num propter spinas non in honore forent.
Inter tot spinas verè aurea Lilia, gemmæ
Thesaurus Vitæ quæritur atq; datur
Hunc ut & invenias, tibi portas explicat ipse
GERHARDVS, famâ nobilis, ingenio.
Hic spinas removet possis ut carpere fructus
Lullj, & GERHARDI tollere ad astra decus.
Quem modo Tubingæ RECTOREM quisq; salutat
Hunc etiam meritò Chymica turba canat.
Non, meritas laudes quas scripta merentur, adæquo,
Splendida quæ fulgent lumine perpetuo.
GERHARDI exactum monumentum prædicet Orbis
Vt, si non aliud, gratia penset Opus.

ARNOLD REIMER,

Commen-

Commentatio perbrevis & perspicua

In

Apertorium Raimundi Lullij Philosophorum facile Principis DE *LAPIDE PHILOSOPHORUM.*

Apertorium R. Lullij.

§. 1.

Sapientes asseruerunt, quod tantum sit Unus Lapis, Compositus solùm ex quatuor Elementis, nullius extranei indigens, nisi sit ejus Naturæ.

Explicatio.

I. NOtandum, quod cum reliquis omnibus Philosophis, non plures, sed Unum tantùm esse Lapidem statuat & concedat Lullius. Errant igitur, qui de pluribus Philosophicis Lapidibus loquuntur, ut sunt, qui Tres faciunt Lapides, puta, unum Animalem, alterum Vegetabilem, & alium Mineralem: cum tamen TANTÙM (ut Lullius loquitur) UNUS ut Lapis. 2. Docet Lullius, ex quibus sit compositus: non videlicet ex quibusdam naturalibus compositis, ut si quis Aurum, Argentum, Mercurium, Vitriolum aut alias res misceat, & ex earum mixtione, tandem oboriri Lapidem opinetur: sed ex Elementis puris constat, ejusque compositio, est primæ Compositionis Elementaris, uti Lullius in

Theoricâ Testamenti cap. 34. explicat; Talis nimirum, cui non solum certa alicujus, ex omnibus generibus, definiti generis forma, sed & in suo genere, specificatio est abstracta: ut Exempl. gratia, si esset hæc materia ex vegetabilis generis certâ specie desumptâ, illa tamen species ex hâc materia, pullulare amplius jam non posset. 3. Et etsi Lapis hic unus sit, sibi tamen sufficit, neque quidquam extranei (quod non sit jam antea in ejus Naturâ inclusum) in se admittit.

§. 2.

Primò omnium purgatur de totâ ejus superfluitate, & phlegmaticâ materia corruptibili, quæ ipsius mors est & quæ mortificat ipsum spiritum, qui habet potestatem vivificandi suam Terram.

Explicatio.

SEntentia haud quaquam est, quasi Elementarem compositionem Lapidis Artifex perficere posset, sed in alijs compositis subjectis ea inquirenda est, sic dicente Lullio; *Materia à DEO creata, quæ movetur ab ipso, est primordiale Elementum, quod appellamus HYLE, quod quidem quærere, tibi non est præsumendum, in SVA SIMPLICI SPECIE ad incipiendum opus nostrum, quamvis sine ipso scire opus non possemus, neq; ad finem deducere, sed ipsum in Compositâ specie quærere debemus, ipsamq; purgare & per ignem evacuare, ut sit pura & clara &c.* Theoricæ Testam: cap. 3. Jnest autem hæc materia in pluribus subjectis,

ctis, ita tamen suis impuritatibus, scorijs & fœcibus involuta, ut non nisi per certos Depurationis & Separationis modos purgari & educi foràs, pura & munda possit: Separandæ sunt igitur superfluitates illæ, quibus, Spiritus ille Principalis, in hoc opere, mortificatur, qui quamdiu mortificatus manet, tamdiu quoq; Terram suam vivificare nequit, neq; quicquam hoc in opere inchoari, nedum perfici potest.

§. 3.

Purgetur ergò, & separetur ab eo phlegma corruptibile, per subtile ingenium, quod tibi dicam.

Explicatio.

IN Subjectis, in quibus inest Spiritus hic vivificativus, & totius Operis Spiritus principalis, in primis obest ei phlegmatica Natura, quæ separanda est ab eo, per Ingenium (hoc est, Artificium) singulare: cujus administrationem le monstraturum Lullius pollicetur.

§. 4.

Nam si non benè purgetur, nunquam Terra ejus benè purgabitur & albificabitur, neq; fiet Matrimonium inter corpus & spiritum.

Explicatio.

REddit Lullius rationem, cur opus sit imprimis spiritum subjecti nostri, ab omni corruptibilitate, repurgari, quia primaria opera, huic Lapidi debita, sine spiritu optimè purgato, perfici

non possint, ut sunt: Terræ (in quâ Spiritus hic, suo tempore, coagulandus est) Purgatio: ejusdem Terræ Albificatio: & Spiritus cum corpore suo, conjugium & Matrimonificatio. Quæ omnia opera, spiritu non debitè separato à superfluitatibus, perfici minimè possunt: maximè, cum (superfluitatibus & corruptibilitatibus adhuc conjunctis) pura cum puris conjungi, & heterogeneis non ablatis, homogenea in unum coire non possint. Dum autem de Spiritu hoc loquitur Lullius, non nudum & solitarium, sed cum animâ suâ conjunctum, & quasi vivificatum intelligit. Sumitur enim hoc loco vocabulum Spiritus, relatè ad corpus, ita ut per spiritum omnis ea intelligatur Substantia, quæ corpus (crassum sc.) non est.

§. 5.

Et tunc ille Spiritus, nominatus est Spiritus Lapidis, qui habet vivificare corpus suum, à quo compositio (corpore) per suam præparationem exivit.

Explicatio.

NOtetur, Spiritum hunc, pro Lapidis Spiritu, prius non agnosci, quàm Præparatio & plenaria ejus præcesserit & facta fuerit Repurgatio: Ubi etiam Spiritus hujus subintelligitur Animatio, sine quâ, potestatem corpus suum vivificandi non potest habere. Notandum etiam, Corpus & Spiritum ex uno eodemque subjecto procedere, à se invicem in præparatione separari, at separata & purificata iterum ad Unum reverti.

§. 6.

§. 6.

Et ideò, quando corpus reversum est de morte ad vitam, tunc ipsum est clarum, purum, album & resplendens, cum magnâ subtilitate, & vestitum pulcherrimis vestimentis.

Explicatio.

EXprimitur hic, quod (ut suprà dictum) Spiritus intelligatur animatus: alioqui si ablata anima à corpore per spiritum non fuisset, corpus exanime & mortuum dici non potuisset. Anima autem per Spiritum in hoc Artificio primum extrahitur, quæ eadem corpori, sive Terræ suæ, per eundem spiritum, in coagulatione, cum vitâ restituitur. Recensetur etiam Lullius Signa, quibus Corpus revivificatum cognoscitur, Claritate sc. puritate, colore & subtilitate, quæ omnia ipso intuitu facilius quam verbis, explicantur.

§. 7.

Scias, quod quando iste Igneus Spiritus intrabit suum corpus & ipsum resurgere faciet, tunc Philosophi nominant ipsum, Lapidem Benedictum, & Lapidem magni pretij & honoris, post suam Resurrectionem. Et illud intelligitur de Igneo & nobilissimo Spiritu prædicti Lapidis, qui sic illuminatus est in naturâ quatuor Elementorum.

Explicatio.

DE Spiritu dicto, plura loquens Lullius, Igneum illum appellat, ob naturam & virtutem

ejus igneam. Sicuti enim Jgnis puriſſimum eſt Elementum, omnia ad extremum depurans: ita & hic Spiritus in ſeipſo & puriſſimus eſt & in ſecundâ operatione præſertim, omnia reliqua Elementa, ſummè purificat, & ad perennem vitam reſuſcitando diſponit. Atq; iſthoc in paragrapho, tranſilit Lullius ab Effectibus Spiritus hujus primæ Operationis, ad effectus ſecundæ operationis, qui tranſitus Lullio ob hoc valdè eſt familiaris, quod utrumque opus, alterius mutua quaſi Jmago ſit quædam: hoc ſolo habito diſcrimine, ut quæ in Operatione prima fiunt, ea manuariâ operatione perficiantur: quæ autem in ſecundâ operatione fieri dicuntur, ea ſolâ Naturæ operatione, citra manuum adhibitionem; efficiantur. Et quia in utraque Operatione Unus & idem perpetuò hic eſt Spiritus, cujus virtute omnia perficiuntur: itaque Lullius in primâ Operatione mentionem ejus faciens, mox etiam & haud rarò ad neceſſitatem ejus in ſecundâ Operatione tranſilit, ut doceat, eo in primâ Operatione neglecto, ad Operationes Secundi Operis perveniri nullo modo poſſe; quandoquidem omnia, in Utraque Operatione, mediante iſthoc Spiritu ſolo, perficiantur. Qualiter autem in hoc paragrapho, Spiritus in ſecundâ Operatione conſideratus, intelligatur, planum fit ex eo, quod illum in Naturâ quatuor Elementorum illuminatum dicit, quod idem eſt ac ſi dixiſſet: poſt ſeparationem & depurationem Elementorum Secundi Operis, tandem in Verâ albedine, in qua vera fit Philoſophica illa Conjunctio, illuminari, & in

qua-

quatuor Elementis depuratis, splendescere & effulgere maximè istum spiritum: Jmò loqui videtur de statu post Resurrectionem, in quo verè natus est Lapis ille, qui quatuor Elementis constat, non tamen obscurus, ut antea, sed illuminatus, ita ut etiam Lapis & Spiritus, in illis illuminatus dici mereatur. Spectant igitur hæc, adhuc ad Operationis primæ finem, & Operis absoluti terminum.

§. 8.

Non tamen intelligitur sic se habere, quod sit terra solum, vel aqua solum, nec aër, nec ignis: sed tantummodò est Vna sola natura, quæ continet in se, de naturâ & proprietate, quatuor Elementorum simul: aliàs non posset ligari cum suâ terrâ, & per consequens, terra non posset albificari per eundem spiritum, si ipsa non haberet.

Explicatio.

JNterpretatur seipsum Lullius, quod spiritus hic in Naturâ quatuor Elementorum illuminatus, licet Jgneus dicatur spiritus, non tamen Unum in se Elementum Jgnis sit simpliciter, sed & reliqua tria in se contineat Elementa, tam quoad Proprietates, quam quoad substantiam. Rationem eam reddit, quod unius cum seipso nulla detur unio aut Colligantia: quia verò Elementorum Conjunctionē urgent Philosophi; sanè requiri etiam, non unum tantum, sed plura Elementa unibilia, uti ex Physicis notum est. Nisi igitur ponantur Elementa omnia in Lapide, frustra essent omnes, ex Ele-

torum varietate obortæ operationes, effectus & alterationes. Nota hic. 1. Quod hoc scriptum sit contra eos, qui Elementa seorsim dari, & arte comparari posse opinantur. 2. Quod Artifex non colligat Elementa, hinc inde in Natura, varijs locis diffusa, sed à Natura compositam materiam eo modo depurat, ut Elementa à Naturâ facta & composita, primum separentur, post iterum conjungantur, & ita subjectum præparatum quatuor Elementis constet.

§. 9.

Ideò omni tempore considerandum, quod Natura & Proprietas, quæ est in isto spiritu, non sit combusta, in præparatione ejus, per potentiam Ignis.

Explicatio.

HIC fit Regressus, à Digressiunculâ præmissâ, ad Opus primum, sub specie tamen Generalitatis, dum dicit Lullius, omni, & sic non tam in Secundæ, quam Primæ Operationis tempore, operam dandam, ne natura & proprietas in isthoc spiritu contenta & abscondita aduratur, & adurendo à Subjecto suo eliminetur & abigatur. Ubi quædam singulariter notanda. 1. Discrimen inter ipsum Spiritum, & Naturam seu Proprietatem in illo contentam. 2. Eam virtutem à Substantiâ Spiritus separabilem esse. 3. Quod in præparatione, & sic in primâ Operatione imprimis hoc metuendum periculum. 4. Quod in præparatione, ex violentiâ Ignis, isthoc oboriatur periculum,

culum, quapropter cautè procedendum, quandoquidem tum temporis, potentiâ & proprietate hujus ſpiritus peculiari (quæ poſtea §. 11. anima eſt, & mediũ inter corpus & ſpiritũ quoq; dicitur) evaporatâ, etiam mortuum manet artis ſubjectum: ut vitâ deſtituta materiâ in Secundo Opere, nulla vita, nullusque Effectus appareat amplius: ſicut videre eſt Theoric. Teſtam. cap. 48. §. Nam, ſi ſubſtantia germinis eſſet congelata. &c.

§. 10.

Quoniam tunc Spiritus, nullo tempore haberet â ſe poteſtatem albificandi, aut ſe conjungendi cum Terrâ.

Explicatio.

HOC loco innuit Lullius, duas Operationes temporibus ſuis diverſas, dum dicit, Spiritum, animâ ſuâ privatum, nullo tempore albificandi, aut ſe cum terrâ conjungendi poteſtatem poſſidere. Hac enim ratione, tempore prioris operationis (deficiente anima) terram ſuam, neque dealbat, neque cum eâ jungitur, cùm deſit conjunctionis Medium. Quod ſi deſit talis Conjunctio in Opere primo; tunc materia, poſt putativam illam præparationem, erit mortua, carens omni motu & mobilitate; & ſic uterque Labor prioris & poſterioris temporis vanus erit & inanis.

§. 11.

Quia medium & anima, quæ participat inter mortem & vitam, ſepararet ſe ab ipſo ſpiritu,

per potentiam Ignis, in tali formâ, quod Spiritus maneret mortuus sine animâ, & sic anima elongaretur ab eo, fugiendo in Regionem suæ Sphæræ.

Explicatio.

EXertè hoc loco Lullius loquitur, de Præparationis Opere, quæ in Primâ operatione locum habet, in quâ fieri potest, ut anima, manente Spiritu cum corpore, recedat, & qualiscunque, inutilis tamen, fiat Spiritus cum corpore, Conjunctio. Observatâ autem cautelâ in Conjunctionis illius primæ opere, anima cum Spiritu, corpus suum ingreditur, eo modo, ut porrò separatio locum amplius non inveniat, sed (ut alibi loquitur) certa & approbata Experientia videtur, quod hoc totum volat & ascendit (in sublimatione) vel in toto remanet deorsum seu inferius &c. Quod totum fit in primâ Lapidis nostri Creatione &c. adeò, quod nunquam postea separabuntur â suis homogeneitatibus, sicut per Experientiam Sublimationis videtur. Theoric. Testam. cap. 48. Ergò modò dicta, de primâ Operatione intelligenda veniunt.

§. 12.

Et tale Secretum non est dicendum apud ignaros & inscios. Non ignores tu, quod illi, qui credunt facere aquam vitæ, ipsi certè faciunt aquam mortis, combustionis causa.

Expli-

Explicatio.

DOcet Lullius, errare quosdam, ex Jmprudentiâ & Negligentiâ, dum Jgnem in Operationis primæ Conjunctione ultra debitum intendunt, & ita materiam spiritualem, teneram adhuc, comburunt, quam tamen, debito observato igne, conservare potuissent. Etsi enim in secundâ Operatione materia sublimata, possit in aquam calore resolvi, nulla tamen (anima absente) sequitur ad eam resolutionem, alteratio in materia, cum absit vitæ causa, & ita mortua, nec viva inde oriatur aqua.

§. 13.

Ideò supplico tibi, ut custodias Ignem in præparatione istâ, & non destruatur nimio calore. Nam cum anima recedit, tunc spiritus non haberet vivificare corpus, cum non dare possit, quod non habet in se.

Explicatio.

NOtanda sunt hic aliqua 1. Expresè hic agi de Præparatione primâ, operationis primæ. 2. Spiritum, sine anima, esse inutilem. Igitur eum oportet animari: & animatum oportet à nimio calore custodiri, nè separatio fiat inter animam & Spiritum, antequam uterque cum corpore uniatur perfectè. 3. Animam esse vitæ authorem, Spiritum autem instrumentaliter se habere, ad corpus, pro vitâ comparandâ.

§. 14.

§. 14.

Et nota, quod præparatio ipsius Spiritus, fit sub tali formâ: Recipe de meliore succo Lunariæ, quem invenire potes, de fortissimo, Libras duas vel tres, & pone in vas cum alembico, juncturis benè clausis & lutatis.

Explicatio.

SPiritus hic, triplici operatione, pro primo Opere, opus habet. Primò enim est ex suo Subjecto per destillationem eliciendus, & à phlegmate suo liberandus, tetreitateque separandus. Secundò: ex proprio suo corpore est animandus. Tertiò: cum corpore suo calcinato & purificato, unà cum animâ suâ, reconjungendus. Has operationes omnes, ex ordine, successivè describit Lullius; & primi gradus in isthoc Paragrapho, facit initium. Quia autem Spiritus hic, admodum est subtilis, ne effugiat, destillandum inter, diligenté requirit junctu-rarum lutationem. Quid autem sit Lunariæ succus, id alibi docetur, neque, ut hoc loco, de illo prolixa instituatur disputatio, opus est.

§. 15.

Pone ad furnellum, & fac subtus Ignem de uno lichnio (licinio) & subtili lento Igne, prædicti spiritus destillentur: & tamdiu destilletur, donec amplius incipiat venas facere.

Explicatio.

PRimò, Ignis gradum hic describit Lullius, quem vult accensis lampadibus, unius tantum licinij

licinij (ein Ampel von einem Dacht allein) perfici. Cum namque Spiritus Lunariæ, non tantùm subtiles, sed etiam violenti sint, & multo phlegmate infecti, ideò lentissimum ignem requirit Lullius. Secundò: docet Signum, quo cognoscatur, quando nobiliores spiritus jam ascenderunt. Jd Signum est, ut observentur venæ subtilissimæ in alembico descendentes: quamdiu venæ illæ sese ostendunt, tum Spiritus sunt subtiliores & minus aquosi: quando verò illæ venæ cessant, & parvulæ guttulæ in alembico apparere incipiunt, tum grossiores & aquosiores Spiritus, elevari incipiunt, quod observandum.

§. 16.

Tũc per illud, separare poteris spissum aëreæ animæ. Ideò, quando plegma incipit venire, tunc Signum est, quod Spiritus destillatus est, qui tenet omnes perfectiones vitæ.

Explicatio.

DE Signo Destillationis, jam dictum est. Commendat autem Lullius Spiritum hunc, duplici nomine. Primò: quod Spiritus hic sit aptissimum medium, animam ex corpore, seu terrâ (ut postea sequetur) educendi. Secundò: quod hic Spiritus de seipso, jam magnam etiam vitæ perfectionem contineat: quo perfectior deinde dicetur, quando etiam Animam Lunariæ in se continuerit. Notandum etiam, quod de Anima dicat Lullius, eam aëream (Elementari ratione) appellando & secun-

secundo, eidem spissitudinem aliquam adscribat. Quâ de re postea. §. 53. & 55. aliquid dicetur.

§. 17.

Et tunc recipe illum spiritum destillatum, & custodi ipsum optimè in vitro optimè obstructo, cum cerâ albâ.

Explicatio.

Nè nobilissimus Spiritus, cum debiliore & aquosiore confundatur, mox primam hanc aquam amoveri jubet: & ne de subtilitate quid depereat, occludi benè monet. Hæc Aqua vocatur prima, quæ autem sequitur, secunda dicitur; quod observandum; cum postea de primâ & secundâ Aquâ verba faciat Lullius in sequentibus.

§. 18.

Post, appone aliud Receptaculum sub Alembico, & recipe Secundam aquam, quia adhuc retinet de Sublimato Spiritu, licet non ita fortè ut primo.

Explicatio.

Spiritus secundæ Aquæ, per admixtionem aquosi phlegmatis infirmatur: quod tamen per cohobium, ab illo phlegmate, repurgatur, & easdem, cum priore spiritu acquirit vires: quin etiam unus & idem fit cum illo Spiritus, ejusdem virtutis & valoris, quandoquidem ejusdem & unius sunt Substantiæ & Essentiæ. Non minus enim idoneus est hic secundus Spiritus, pro extractione animæ, quam Primus, uti postea §. 26. videbitur.

§. 19.

§. 19.

De istâ Secundâ Aquâ, destilla tamdiu, quousq; nihil amplius veniat, nisi phlegma, & qua non habet se aliter, nisi sicut aqua corrupta communiter, gustando modicum, per os tuum.

Explicatio.

HÆC Secunda Aqua, cum priore nondum est miscenda, sed seorsim ad usum suum (§. 26.) reservanda.

§. 20. §. 21. §. 22.

Si habet adhuc aliquam virtutem, tunc adhuc magis poteris destillare: si autem est sicut alia aqua pura in gustu, tunc depone Receptaculum, cum ista aquâ secundâ. §. 21. *Et post pone aliud purum (sc. Receptaculum) ad recipiendum totum phlegma, tamdiu destillando, ut nihil plus destilletur.* §. 22. *Et totum tunc phlegma effundatur, quoniam ipsum est, quod mortem infert nostro Lapidi pretioso. Et hoc vulgus non cognoscit, sed nos cognoscimus.*

Explicatio.

DEstillato Spiritu omni, etiam phlegma extrahi docet, quod tamen est inutile, & ideò abjiciendum. Obstat autem phlegma isthoc & spiritui & animæ, & corpori, quò minus insitas sibi vires suas exercere possint. Jdeò horum mortem,

phleg-

ma hoc Lullius appellat. Remanet verò aliquid phlegmatis cum terrâ, cujus ſeparatio, in Exanimatione Terræ, ſeu corporis calcinatione, deinde etiam proponitur. Quin & in utraque Aqua, ſeu Spiritu (primo & ſecundo) haud parũ phlegmatis reſiduum eſt, quod ipſum tamen, in Animatione Spiritus, etiam ſeparatur à Spiritu, ut poſtea &c.

§. 23.

Jam ibi habes terram, quæ ibi manſit in fundo vaſis, in toto nigra, ad modum picis fuſæ.

Explicatio.

HÆC eſt illa Terra, quæ exanimanda & deinde iterum vivificanda eſt. Cavendum autem, nè nimis ſicca in phlegmatis deſtillatione reddatur: alioquin, difficulter in aqua ſecunda: difficilius autem in aquâ primâ diſſolvi poterit. Si enim plus juſto de phlegmate deſtilletur, tunc grana groſſa, ſalis inſtar conglobantur, quæ diſſolui ſe non patiuntur; plurimum autem de animæ ſubſtantiâ in ſe continent, quæ non niſi ſale hoc ſubtiliſſimè ſoluto, aut contrito per ſpiritum hunc extrahi poſſunt. Cautè igitur hic agendum.

§. 24.

Illa enim Terræ Calcinatio, non poteſt fieri igne forti, ſicuti Sophiſtæ credunt, ſed ipſa fit per proprium ſuum Spiritum, qui cuſtodit eam à crematione.

Expli-

Explicatio.

POstquam Lullius de distillatione Spiritus Philosophici, seu ejus à Phlegmate separatione, sermonem absolvit: & de Calcinatione verba facere incipit: in cujus debitâ administratione, unâ, quod ajunt, fideliâ, duos parietes Lullius dealbat: Docet enim verum calcinationis modum, rejecto falso: simul etiam, quomodo Animæ Extractio fieri debeat, monstrat, quæ talis est, ut simul etiam Spiritus Philosophici, à reliquiis Phlegmaticis, Rectificatio perfecta instituatur. Reddit autem primò rationem, cur non ad siccitatem usq; phlegma à corpore sit abstrahendum, eam nimirum, quod non vulgaris aliqua, sed Philosophica hîc requiratur Calcinatio, quæ per destillatum Spiritum fieri debeat eum in modum, ut simul etiam anima subjecti Philosophici extrahatur. Quando autem anima fuerit extracta, tunc de Calcinatione communi, jam nullum amplius est periculum. Cum è contra, qui abstracto Phlegmate, mox animam, suâ Calinatione abigunt, frustrà deinde ex calcinatâ materiâ, educere conantur animam, quam suâ Calcinatione jam in fumos redigerunt. Spiritus autem destillatus, accommdatissimum & convenientissimum est hujus Calcinationis Philosophicæ medium & Receptaculum, ut in sequentibus.

§. 25.

Quia suus Spiritus, animam suam, à corpore trahit, & repellit phlegma suum superfluum, & terram mortificat, & postea perpetualiter eam vivificat.

Explicatio.

BEneficia, quæ Spiritus hîc, in Philosophicâ istâc Calcinatione præstat, à Lullio nunc recensentur. 1. Est Extractio animæ à suo corpore, quæ fit per Spiritum hunc, cum ratione spiritualitatis, anima & Spiritus in Naturâ conveniant, & cognationem aliquam inter se habeant, unde fit, ut Spiritus animam in se recipiens, unà secum eam per alembicum transvehat. 2. Repellit phlegma, utriusque & Spiritus & animæ superfluum, quia in transvectione per alembicum, subtiliores partes Spirituales, transcendunt, relictis post se Phlegmaticis, ita ut simul animæ & Spiritus fiat Rectificatio. 3. Est terræ Mortificatio: quandoquidem, cui viventi anima adimitur, id vitâ privari rectè dicitur: Subjecto autem Philosophico, per Spiritum animâ ademptâ, rectè id mortuum jam dicitur. 4. Idem Spiritus, qui animam in se receptam, corpori ademit, eidem etiam per cognationem restituit, & ita terram iterum vivificat. Quomodo enim & Spiritus & Anima suam quoque habeant spissitudinem & corporeitatem, per quam harmonicum amorem quendam ad corpus habent, id suo loco deinde etiam Lullius explicabit. Hæc Theoricè de Calcinatione, animæ Extractione & ejusdem Restitutione: jam pergit Lullius ad Practicalia manuaria.

§. 26.

Et ergò nunc calcina terram prædictam, sub istâ formâ. Recipe Secundam Aquam destillatam

tam, & funde eam ſuper terram nigram in vaſe ſuo, & miſce benè, quousq; ſit diſſoluta, quia terra ſtatim ſolvitur.

Explicatio.

PEr Aquam ſecundam, eam intelligit Aquam, ſive Spiritum ſecundarium, cum quo, pars aliqua phlegmatis pertranſivit per Alembicum, poſt primam illam, de quo ſupra §. 15. 16. 17. Eâ propterea primitùs utitur Lullius in Calcinatione terræ & animæ extractione, quia terra melius & facilius, eo in Spiritu reſolvitur, qui adhuc aliquid phlegmatis ſecum habet, quam qui minus de Phlegmate in ſe continet: Cauſæ poſſunt inquiri ex Theorica Teſtamenti. cap. 48. §. Et ideò, quando volumus &c. Non autem ſententia eſt, quaſi primæ Aquæ ſive Spiritus nullus prorſus hîc eſſet uſus: ſed quando per ſecundam Aquam, ſolutio & Animæ extractio aliqua facta eſt, & major phlegmatis pars ex terrâ eſt evocata, tunc etiam prima Aqua adhibetur. Ab utraque autem aquâ, primâ ſc. & ſecundâ, ſingulis deſtillationibus, magna pars phlegmatis ſeparatur, ut ita tandem una fiat Aqua, ex illis duabus, animata & à phlegmate deputata, vide hâc de re §. 32. 36.

§. 27.

Et cave, ne â fecum fumoſitate (ſpiritus) recedat, quia ibi eſt ſulphur, quod habet poſſe congelare noſtram aquam in Laminam chriſtallinam, vel formam albiſſimi pulveris, ſicut eſt nix pulcherrima.

Explicatio.

CAutela docetur, ne quis pro nihili habeat fumos & Spiritus in Solutione terræ elevatos, quasi de iis non sit curandum: quandoquidem etiam ille Spiritus, in piceâ materiâ latitans, nobilissimus est, ut quo à priore Spiritu absente, mortuus dici & haberi Spiritus ille potest: aut si jam animam in se conceperit: iterum autem ex negligentiâ circa ignem, eam amiserit, prorsus inutilis ad hoc opus tum effectus sit. Est enim Spiritus ille in terrâ residuus, ipsa extrahenda Anima, quæ & propter Efficaciam suam, SULFUR, appellatur: quod quemadmodum sulfure argentum vivum, ita Spiritus prior hâc animâ in terram suam congeletur albissimam, quæ postea, sublimatione, ex hâc terrâ, tanquam Coagulationis vase naturali, educitur, uti postea §. 78. 79. videbimus.

§. 28.

Move ergò benè feces: & scias, quod jam dictæ feces fumosæ, in tantum manibus moveri debent in suo vase, donec benè sint dissolutæ in suo Spiritu.

Explicatio.

QUia non omnes piceæ hujus materiæ partes facilè solvuntur, agitatione vasis (wann mans starck vmbschwencket) facilius solvi materiam putat. Non tamen omnis hæc materia in totum statim resolvi credendum, ob granulos Salis in sapâ hâc concretos, quos tamen dirui per repetitiones affusionis verisimile est: quo plures autem

tem solvuntur partes, eò plus de Anima Spiritus in se recipere potest. Fumosas autem vocat feces, eò, quod in illis delitescat Fumus ille albus, sine quo (tanquam animâ & sulphure) in hâc arte fieri nihil potest: qui & in secundo Opere, suâ albâ fumositate, totum opus perficit: Sic dicente Morieno; Si fumus albus non esset, nullatenus Aurum Ethres Alchymiæ purum, sive utile perpetuari (fortè præparari) posset: sub finem Libri sui.

§. 29.

Post, desuper pone Alembicum, & luta benè, & destilla suum spiritum per ignem, cum uno lichnio (licinio) subtili formâ, ut prædixi, donec videbis, quod nullæ veræ (illæ venæ) quas Spiritus faciunt, iterum corrumpantur in capite Alembici.

Explicatio.

QUamdiu post affusionem aquæ seu Spiritus ad fœces, in digestione, relinquenda sit Materia ante Destillationem, hoc loco non indigitatur: sufficere tamen horas 24 posse existimo: quib⁹ expletis, Destillatio, dicto modo, institui potest. Gradus autem ignis, qualis & quantus adhibendus, in Calcinatione seu Extractione Animæ Lullius docet: nimirum idem cum eo, qui in primâ Spiritus destillatione fuit usurpatus. Eadem quoque Signa, in utraque Destillatione vult observari, ratione nimirum venarum, uti dictum fuit supra §. 15. atque admiratione dignum est, ani-

mam (quæ anteà tenacioris erat naturæ) nunc cum Spiritu ita uniri, ut pariter igne remisso, & unà, ascendant per Alembicum. Atque hæc Spiritus animati prima à fecibus piceis est destillatio.

§. 30.

Et tunc iterum recipe Receptaculum Alembici cum Spiritibus, & pone ad partem, & appone aliud Receptaculum, & destilla, ulterius videndo, an adhuc ibi sint plures Spiritus.

§. 31.

Sin autem, tunc Aqua quæ destillatur, habet saporem, sicut Aqua communis fontalis calida.

§. 32.

Tunc eam effunde iterum, quia talis Aqua Phlegmatica, quæ destillatur, adducit etiam mortem nostri Lapidis.

Explicatio.

DUæ fiunt Aquæ ejusdem generis in hâc animatione seu Calcinatione: prior est, quæ minus Phlegmatis, aut propè nullum habet phlegma, altera & posterior (sicuti supra in simplicis Spiritus confectione) Phlegmatis partem sibi adhuc permixtam habet: quæ duæ aquæ nondum confunduntur inter sese, donec æqualis fuerint qualitatis & virtutis. Interim phlegma remanens, destillatur & effunditur, tanquam quod obstaculi loco est, virtuti Spirituali, tam in ipso Spiritu,

ritu, quam in animâ & terræ calore insito: de quo postea.

§. 33.

Et post totam Destillationem, tunc accipe vas, cum totâ materiâ, quam tunc invenies magis duram, quam anteà.

§. 34.

Et hæc est ratio: quia tunc ille Spiritus attraxit sibi animam aëream de suo corpore; eò, quod ipse est locus, in quo anima continetur.

Explicatio.

Notat Lullius Signa, in progressu hujus operationis succedentia: quod videlicet, inter illa sit spissitudo & durities in fœcibus subsidentibus, quæ ab initio erant in formâ liquidâ sapæ, sirupi, aut liquidæ picis. Jam verò abstractâ animæ particulâ, & phlegmate superfluo exhalato, dura, neque amplius fluxilis apparet. Rationes sunt duæ; quarum unâ à Lullio exprimitur, videlicet, quod anima aërea (cujus natura glutinosa & viscosa est) sit separata: quâ etiam amplius separatâ, durities cedit, & cogitur massa illa duriuscula, in pulverem, dirui & dissolvi, ut postea §. sequenti. Altera ratio est, remotio aqueitatis, quâ ablatâ, minùs jam massæ substantia, in suis partibus cohærere potest. Observandum quoque, quod Lullius animam vocat aëream, de quo supra §. 16. de Spisso animæ aëreæ. & Theoric. Testament. cap. 48. Anima enim hæc non est phlegma-

ticum quid, sed aëreum, Philosophicè loquendo. Denique Spiritus, dicitur locus animæ, quando-quidem animam ille intra sese recipit, & cum illâ unitus, eandem secum rapit, & secum per Alembicum transvehit: quæ Animæ Extractio solùm per hunc Spiritum fieri potest.

§. 35.

Illam operationem reitera totiens, donec tu videbis materiam tuam calcinatam, in fundo, in pulvere nigro; vel etiam tamdiu, quousq; videbis, nullum amplius præstare phlegma & saporem sicut prima.

Explicatio.

RElíqua Calcinationis & Exanimationis Signa jam profert Lullius. Dictum est prius animâ subtractâ viscosâ, conglutinationis causam jam sublatam: quò magis autem ea tollitur, eò minus terra cohærere, conglutinarive potest. Quapropter & Extractio hæc animæ, simul etiam est Calcinatio. Ideoq; animæ quò plus extrahitur, eò magis continuitatem solvi, & discontinuationẽ materiæ induci, necesse est. Fit igitur in fundo, pulvis tenuis & ater: quod Signum est Exanimationis. Additur aliud Signum, ex parte Spirituum seu Aquæ: quando videlicet aquæ extrahentes, incipiunt minus de phlegmate participare; quandoquidẽ in quâvis destillatione, phlegmata quædam separantur, interim per animæ adjectionem, adaucto Spiritus animati robore. Sicuti autem post affusionem aquæ ad terram, in destillationis primâ

primâ parte, seu aqua destillante primâ, aqua illa, post se relicto phlegmate, saporem acriorem habet: ita & secunda post primæ destillationem aquæ, transiens, facta ad terram illam reaffusione, relicto flegmate, primæ similis, in carentiâ flegmatis, & in saporis qualitate, evadit. Reaffusionem autem Spiritus utriusque, simplicis & animati, ad feces, toties repeti vult Lullius, donec hucusque recitata signa, in operando appareant.

§. 36.

Et non ignores, quod in destillatione misceas illos Spiritus duos, simul super suam terram, tandiu, usq; quò terra & Spiritus habebunt illa signa suprà dicta, nempe, ut terra sit calcinata, & Spiritus nullum faciat phlegma.

Explicatio.

MOnet hîc Lullius, quid de distinctis illis Spiritibus, vasis distinctis exceptis (quorum unus plus phlegmatis in se tenet altero) in operatione Extractionis animæ, agendum: Primò quidem Spiritum simplicem, ab initio, non sine flegmate destillatum (qui secunda aqua fuit dictus) esse fecibus admiscendum, & in subsequente Destillatione, à phlegmate melius liberandum: post autem (tanquam melius jam à phlegmate rectificatum) cum primæ destillationis Spiritu miscendum, & fecibus atris tandiu reddendum & destillandum, dum Calcinatio terræ, & animæ

Extractio ad plenum fuerit perfecta. Et, hucusq; duæ Operationes descriptæ sunt: quarum prima, de Philosophiæ subjecto (succo Lunariæ) Spiritum extrahit simplicem: Altera, modum Extractionis Animæ docet; ubi Spiritus simplex perfectè animatur, & simul etiam terra perfectè calcinatur. Et hucusque Praxis manuaria. Omissa autem videtur hoc loco, Oleitatis abstractio, de quâ tamen suis locis & Paragraphis, postea etiam dicetur.

§. 37.

Scias, Fili charissime, quod in isto Capitulo primo, magnum SECRETUM continetur, quantum ibi est Extractio animæ è corpore, per quam Spiritus ejus vivificatur, sicut Corpus in absentiâ ejus mortificatur.

Explicatio.

Effectum hujus Operationis postremæ, hucusque descriptæ, explicat Lullius, qui duplex est, pro ratione videlicet ipsius Spiritus simplicis, & terræ etiam. Spiritus, vivificari dicitur, eò quod jam animam, à corpore abstractam, in se recepit, ut, sicut antea corpus, animam adhuc in se retinens, animatum & vivum dicebatur: ita nunc Spiritus, hanc animam in se continens, vivus dicatur & animatus: & vice versâ; sicuti antea Spiritus simplex, eò, quod anima illi non inerat, Spiritus mortuus, & sine vita dicebatur; ita & terra, animâ suâ jam privata, mortua quoq; & exanimis esse dicatur.

§. 38.

§. 38.

Ergò subtrahe humorem, mortificantem calorem. Ipse enim calor est causa Generationis, nostri Sulphuris.

Explicatio.

PRimò monendus est Lector, de vocabulo sulfuris, quod in duplici significatione sumitur: Primò enim sumitur, pro fumosâ illâ materiâ volatili, quæ ineſt fæcibus nigris, & anima vocatur, & causa est coagulationis Spiritus, uti supra §. 27 dictum. Secundò sumitur pro illa materiâ, quæ post coagulationem Spiritus & animæ, in corpore, ex terrâ per sublimationem educitur, de qua §. 77. 81. 86. 88. 89. & etiam hoc in loco; quæ & propriè, materia Lapidis est univoca. Ad hoc producendum Sulphur, non modo certa requiritur terra (in quâ congeletur Spiritus animatus) sed in eâdem calor etiam requiritur, qui ab initio in phlegmate suffocatus erat & infrigidatus: remoto autem omni flegmate, per supra dictas destillationes, calor ille vivere & vegetari, seu crescere incipit. Quare etiam propter calorem terræ procurandum, opus erat totali phlegmatis abstractione, sine quâ, Congelatio locum invenire nullo modo potuisset. Et sic tria principia præparata sunt, Spiritus scil. Anima & Corpus: Sicuti de hâc præparatione monetur. §. 2. 3. 4. supra.

§. 39.

Sic Philosophi testantur, quod nostrum sulfur non possit generari sine calore. Nos enim trahi-

trahimus tunc istum calorem, de morte ad vitam: quia prius in sulfure nigro mortuus fuit; nunc autem est vivus & indutus magnis potentiis & virtutibus.

Explicatio.

COnfirmat Lullius prædicta, per Philosophorum authoritatem, quod nimirum calor, terræ naturaliter insitus, roborandus sit, si SULFUR illud nobilissimum creare voluerimus. Quo roborato magnæ dein illius vires & potentiæ sese exerant.

§. 40.

Et scias, quod iste calor, nunc debet posse penetrare, omnes partes sui Spiritus, mediante causâ suæ acuitatis: & etiam habet coagulare, ratione suæ siccitatis.

Explicatio.

EXplicat Lullius, duas earum virtutum, de quibus præcedente §. dictum fuit: Una earum est penetratio per Spiritus Naturam & partes, per acuitatem calori insitam: Alia, est coagulationis virtus, quæ propter siccitatem caloris exoritur: ut enim Spiritûs fiat Coagulatio, requiritur penetratio caloris (id est, ut calor penetrare possit) & simul etiam siccitas, quâ humidum imbibi in corpore, in eoq; retinere possit.

§. 41.

Quia scriptum est, quod omne siccum libenter ebibit suum humorem, & convertit ipsum in

in sulfur, quod postea potestatem habet congelandi totum argentum vivum.

Explicatio.

RAtionem reddit Lullius, quomodo per præcedentem Calcinationem, Generatio Sulphuris Philosophici, promoveatur: quia scil. nisi terra sicca (& calida) per Calcinationem reddita fuisset, imbibere, ad se attrahere, secumque retinere humidum suum illud radicale non posset: & sic totum opus in vanum esset. Positis autem hisce operationibus, perfici docet etiam opus longè majus, Conversionem videlicet humidi sui naturalis & radicalis, in sulfur substantiale & corporale, materiale, sensibile: sine quâ Conversione frustraneus esset omnis conatus. Ubi simul clarum evadit, terram cum suo calore, habere se ut causam Efficientem Instrumentalem, & non Essentialem. Adjungit iterum consequenter majus & nobilius opus Lullius, quod nimirum sulfur tale, per conversionem factum, illius sit potentiæ, ut totum suum coagulet argentum vivum. Quod duplicem sensum, secundum duplicem operationem habere potest. Si pro primâ operatione intelligatur, tunc eam partem Spiritus & Animæ, quæ argentum vivum appellari potest; coagulatam reddit, ut excluso phlegmatico humore omni, sicca fiat, fluxibilis, coagulata & sublimabilis, ut sulfur illud materiatum oboriatur. Si autem pro Operatione secunda sumatur (quod verisimilius est, & Lullio plurimum placet,

placet, per digressionem, de Opere primo, ad opus secundum transilire) tum sensus est: eam esse vim & virtutem hujus sulfuris (quod compositum est) ut omnis Operatio secunda, istius sulfuris virtute regatur, & ex eo tandem coagulationem argenti vivi Philosophici fieri, omniaque in terram converti, secundum illud Hermetis: Vis ejus integra est, si versa fuerit in terram. Docet igitur Lullius: in tantùm virtutem sulfuris, in primo & secundo Opere extendi, ut sine eâ, in utroque nihil omninò possit effici.

§. 42.

Inspice Fili charitatis, quod si ista Conversio seu transmutatio inspiciatur, tunc ibi nulla est contrarietas sensus in Generatione. Quia omnis Generatio habet fieri per diversitatem suæ Corruptionis & Generationis, quæ sunt simul contraria: & Corruptio, quæ est potens in materiâ illâ, ducit eam posse devenire in novam Generationem vitæ æternæ.

Explicatio.

OCcasione dictæ Conversionis humidi, in sulfur, digreditur nunc Lullius ad Discursum theoreticum, quomodo illa conversio seu Transmutatio naturaliter fiat. Videtur enim quasi contra omnem naturam esse, ut ex humido fiat siccum, cum hæc duo sint contraria, & ita ex contrariis Generatio fieri nequeat, sed destructio potius. Sed solvit Lullius Physicè hanc Objectionem,

nem, dicendo: Sicuti ergo in Naturâ, Corruptio quidem & Generatio contraria sunt; Corruptio autem Dispositionem infert, ad novum esse: ita etiam in ipsâ hâc corruptione, contrariæ qualitates, humidum & siccum, ad novam generationem disponuntur, & quidem priore substantiâ (qualitatum ratione & respectu) nobiliorem & corruptioni minus obnoxiam. Interim tamen locum habet humidi in siccum, conversio & transmutatio in melius.

§. 43.

Et propter hoc est necessarium, quod Corruptio sit facta, per Elementorum separationem, post præparationem eorum, creatur suum sulfur.

Explicatio.

SEntentia est, non intelligi hoc loco talem Corruptionem, quâ totum Compositum ita destruitur, ut omnis ad Generationem (meliorem præsertim) via intercludatur, sed esse eam Elementorum separationem, & separatorum illorum præparationem seu mutationem aliquam: quibus Elementis separatis, præparatis & repurgatis, per Reconjunctionis modum, Sulfur illud Philosophicum, demùm possit creari. Ubi & notandum, Elementorum vocabulum, hoc in loco non sumi Physicâ communi significatione, sed eâ latiore, quâ partes quævis, rerum naturalium, componentes, Elementa dici solent (quemadmodum corpus & anima, hominis Elementa dici queunt)

queunt) in quâ laxiore significatione, hoc loco non quatuor Elementa, tanquam corpora prima simplicia, sed tanquam partes componentes, corpus nimirum, Anima & Spiritus, intelliguntur: de quarum singularum separatione & repurgatione seu præparatione hucusque fusius fuit dictum.

§. 44.

Et de illo, poteris postea conficere Medicinam Lapidis secreti, in quam fluxit talis virtus sulfuris, quæ habet Vivificare & Ligare duo contraria, scil. corpus & Spiritum, subtiliando & miscendo corpus cum Spiritu, & congelando & retinendo corpus in Spiritu, & Spiritum in corpore, fixatione permanente.

Explicatio.

Postquam proximè dicto §. de Sulfuris creatione verba fecit Lullius, jam etiam explicat ad quid sulfur hoc creatum conducat: quod nimirum Medicina, sive Lapis ex hoc sulfure fieri possit, eâ tamen lege, ut in hanc Medicinam prius influat Virtus illius sulfuris. Quæ autem sit illa virtus, aut quænam virtutes, ordine suo recenset. Prima virtus est, mortuum vivificare. Secunda, duo contraria Elementa, corpus & Spiritum, inter se connectere & ligare. Tertia, duo hæc subtiliare. Quarta, subtiliata hæc miscere. Quinta, eadem mixta & subtiliata congelare. Sexta, unum alteri substantialiter inserere. Septima, justa fixatione inter se perpetuare. Quæ omnia

secundi

secundi sunt Operis, in quo sulphur vires exerens & influens, hæc omnia de seipso, in materia sua perficit.

§. 45.

Et hoc testatur Philosophus dicens: Nos non possumus facere transitum de mollitie Mercurii, ad duritiem metalli, sine dispositione mediâ, quæ participat de unâ, sicut de alterâ, & immediatè illâ participatione habet potestatem, colligare simul, & facere unionem.

Explicatio.

IN secundâ Operatione, ab initio, igne debitê recto, mera & purissima apparet aqua: in fine autem ejusdem operationis, mera apparet terra. Inter hæc duo extrema, post Nigredinem, oboritur materia, quæ aqua spissa & valdè ponderosa dicitur; & Mercurius Philosophorum, appellatione strictissimâ & propriissima vocatur, quæ neque prorsus fixa, neque prorsus est volatilis, sed intermediæ naturæ, inter aquæ mollitiem, & inter terream substantiam, ejusque duritiem. Hæc intermedia substantia, ex mixtione præcedenti corporis & Spiritus, mediante sulfure seu anima oboritur, participans utraque extremitate, & sic veram Unionem procurans.

§. 46. §. 47.

Quare si tu Indagator es Veritatis, intellige, quod tria facta sunt Unum. §. 47. *Et hoc te-*

ſtatur Philoſophus in Libro de Trinitate, ubi inquit; Lapis noſter pretioſus compoſitus eſt ex tribus, ſcilicet, Spiritu, Corpore & Animâ.

Explicatio.

SEntentia eſt, in Operatione ſecundâ inter Tria illa, per ſulfur mixta, Unitatem trium oboriri ſubſtantiarum, corporis, animæ & Spiritûs: quas ſubſtantias primitùs in Operatione primâ, indivisè inter ſe unitas prius oportet: Aliàs enim, niſi in Uno jam ſubjecto unitæ eſſent, inter ſe operari, & colligari non poſſent, operatione ſecundâ.

§. 48.

Et ſimul ſcias etiam, quod Spiritus eſt medium quandoq; inter corpus & animam: quia Spiritus attrahit animam à corpore, mortificando corpus, & poſteà reddit ſibi animam, & reſuſcitat ipſum.

Explicatio.

ANtea §. 45. de medio, ex extremis materialibus exorto, fuit actum. Jam verò ad primam Operationem redeundo, iterum agit Lullius, de Medio inſtrumentali, Spiritu nimirum ſimplici, de cujus confectione, ſupra §. 14.15.16.17. fuit tractatum. Quæ igitur ſint ipſius mediativa officia, hîc edocet, nimirũ mortificare, & vivificare, quando ſc. hoc mediante Spiritu, & anima à corpore extrahi, & eodem mediante, anima corpori reſtitui, corpusque reſuſcitari poteſt.

§. 49.

§. 49.

De istâ Resurrectione loquitur Hermes ad omnes Inquisitores Artis & Veritatis: ô Fili, recipe animam Lapidis, & semina eam in terram foliatam nostram albam, quæ volatilis est, si non vis, quod perdat sua magna Elementa: Et scias, quod anima retinet eam, ita quod non poterit fugere, quando ipsa ascendit in Cœlum, & descendit in terram.

Explicatio.

SCiendum hîc, Resurrectionis vocabulum, in utraque operatione, suo utrobique sensu intelligi. In secundâ enim Operatione, mori dicitur materia præparata, in nigredine, quæ ipsa deinde in albedine, resuscitari dicitur. Ibi autem omnia se habent tantùm secundum rationis considerationem, & non realiter, aut localiter: quia anima verè, realiter & localiter, à corpore nunquam separatur, & ita quoque realiter & localiter, neque conjungitur, nisi quod firmiùs conjungi dicitur. In primâ autem operatione omnia hæc fiunt realiter & localiter; quia verè per Spiritum anima ex corpore extrahitur, ut jam non in corpore, sed in Spiritu localiter separato, contineatur & habitet. Quæ localiter & realiter deinde, unà cum Spiritu, suo cum corpore, uniuntur, ut ex corpore, anima & Spiritu, unum quid fiat indivisum & inseparabile: post quam Unionem, Resuscitatio & Resurrectio etiam appellatur finis hujus Operationis. De hac distinctè

(posteriore significatione) loquens Lullius, hisce infit verbis: De Ista Resurrectione loquitur Hermes &c. In hâc enim Resurrectione, jam seminata est Hæc Anima, in Terram foliatam, albam & volatilem, ante sublimationem, & post sublimationem, & etiam in sublimatione: ita ut Terra hæc volatilis, intra se jam portet, & contineat hanc animam: quæ deinde, in Operatione secundâ, vim suam exerit, detinendo volatilem adhuc terram, ut tandem fugere desinat, & cum omnibus Elementis, in æternum uniatur, & resuscitari, sensu secundæ operationis, dicatur. Ex quo & clarum fit, in præsenti §. de Resurrectione reali primæ operationis, sermonem esse. Quia namque seminationem hanc, sequitur adhuc ascensio & descensio terræ volatilis: consequens inde est, Resurrectionem primæ esse operationis, in quâ Elementa omnia actu sunt volatilia, & post ascensum & descensum demùm, unio fit illa, quæ fixa est & secundæ operationis dicitur. Quæ nisi accuratè distinguantur, multorum Labyrinthorum causa & occasio esse possunt. Notandum etiam, sulfure creato, omnia Elementa & omnes Lapidis hujus partes, adhuc actu volatiles esse, & proinde, nullum corpus actu fixum, locum hîc obtinere posse. Terra autem quia dicitur, notatur materia sicca, congelata, terminata proprio suo termino, nihil madefaciens. Alba porrò nuncupatur, unde videmus, primum colorem Lapidis, in vas inclusi, esse album atq; candidum, crystallinum, seu translucentem uti, supra §. 27.

§. 50.

§. 50.

Et tamen virtutem corporis, Spiritus recipit, sub tali formâ, scilicet, quod nihil est, quod possit contra eam: nec mors poterit etiam eam iteratò mortificare, quod scriptum sit, quod si qua Unâ vice resuscitatur, nunquam aliàs morietur.

Explicatio.

HÆc de Utraque, primâ & secundâ Resurrectione, possunt intelligi: quandoquidem in eâ utraque Spiritus quasi incorporatur, dum ex invisibili, visibilis, ex impalpabili, palpabilis, ex incorporeo, corporeus redditur Spiritus. Qui & in prima operatione talis jam est, & à corpore separari nequit, quin aut totus ille Lapis ascendat, aut, quod in secunda operatione contingit, totus in fundo subsideat: & ita semel (in primâ etiam operatione) resuscitatus, mori porrò amplius non possit unquam.

§. 51.

Ideò Fili, potest intelligi, quod vita æterna, non potest esse in aliquo corpore, nisi prius fuerit mortuum: quia Mors est causa glorificationis ipsius corporis, in vitâ æternâ, sicut (sic etiam, aut sic &) Corruptio est causa, novellæ Generationis divinæ substantiæ.

Explicatio.

Plæ sunt sanè hæ cogitationes & meditationes, quales etiam Paulus docet 1. Corinth. 15. Et sanè in hac Arte abstrusissimorum quorundam Fidei articulorum, naturalia quasi Paradigmata reperiuntur, multaque ad oculum propè demonstrari, ex naturalibus hujus Artis principiis, possunt: ut non sine stupore pia corda considerare illa, & Dei miram potentiam, etiam in naturalibus, aspicere & admirari, & Athei homines irrefragabiliter & invictè refutari possint.

§ 52.

Mortifica ergò corpus prius per Corruptionem, antequam aliud aliquid facias, & post parùm, iterum trahe ipsum ad vitam, donec perveniat ad tale medium Corporalitatis & Spiritualitatis, quod nos nominamus Medium, participans naturam duorum extremorum, scilicet inter animam & corpus.

Explicatio.

Supra §. 48. rediit Autor ad Primæ operationis mentionem, quam & hîc continuat, docetque in eâ præparatione, ante omnia, mortificationis corruptionem, antecedere debere: quâ absolutâ, terræ seu corpori, per Restitutionem animæ & Spiritûs, vitam iterum communicandam, seu infundendam esse; quo labore continuato, oriri materiam, quæ quidem liquida, aquæ aut soluti Spiritûs instar, fuerat antè, jam autem fit palpabilis,

&

& manibus tractabilis, atque proprio suo termino, tanquam jam coagulata, terminatur, participans Spiritualitati & corporalitati, sulfur nimirú illud ab arte compositum & sublimatum. Corporalitati participat, quia jam, ut corpus, tractari, videri, palpari, conteri manibus potest. Spiritualitati participat, ob naturam Spiritus volatilem, & subtilitatem, quam Spiritus incorporatus etiam nunc retinet: & ita est Corpus Spirituale, & Spiritus Corporalis, Medium scil. inter duo Extrema. Atque ita non minus in opere primo, quàm secundo (unum enim alterius typus & imago est) adimpletur id, quod supra §. 45. dictum fuit.

§. 53.

Et secundum istam rationem dicimus, Spiritum esse vitam animæ, quando ipse continet in se animam: & etiam ipsum Spiritum, nominamus corpus, ratione suæ corporalitatis palpabilis & visibilis, à quâ componitur, & etiam in loco locatur. Et illa est ratio, quare hic Spiritus, retinet in se, de naturâ corporis.

Explicatio.

SUpra §. 48. de natura & officiis Spiritûs illius, qui in isthoc opere, & utrâque operatione primas tenet, Lullius aliqua fuit locutus: quia verò de eodem Spiritu jam iterum loqui cepit, jam etiam, quæ de illo residua sunt, uberiùs exequitur. Et quidem primo, inquit, secundum eam rationem,

nem, quâ mortuum corpus vivificatum, ope Spi- Spiritûs hujus, in mediam transit, corporalitatis & spiritualitatis, naturam, rectè dici, Spiritum esse vitam animæ, quandoquidem, nisi anima in separatione inveniret accommodum Receptaculum, tum aufugeret, & in aërem seu vaporem resolveretur, neque unquam ad corpus suum reduci posset, & sic corpus sine animâ, & hæc sine illo, perpetuò remanere cogeretur. Quod ne fiat, beneficio hoc Spiritûs hujus est adscribendum: qui in se recipiendo animam, eam intra se conservat, ne in nihilum evanescat; qui & ipse hanc animam restituens corpori suo, animam ab interitu vindicat, ut separata licet, tamen vivat: & dein corpus revivificet, quando & animam hanc, & cum hac, simul etiam seipsum, corpori exanimato restituit, totumque compositum, in unum iterum redigit & unit. De Spiritu item hoc amplius dicit, corpus eundem etiam nominari, post factam scilicet unionem, & Medii (de quo §. præcedenti dictum) compositionem: quandoquidem in hujus Medii constitutione, Spiritus hic alteratur, & quodammodo suam exuit naturam, dum corporeas proprietates induit, ex impalpabili, palpabilis, ex invisibili, visibilis, & illocali, seu inde terminato, materia fit terminata, superficiebus suis localibus inclusa. Quam naturam, nisi jam anteà, in potentiâ seu actu primo in se habuisset, talis fieri, & ad corporalitatis naturam, nullo artificio redigi potuisset. Inde autem apparet, quod

corpo-

corporis naturam etiam in se, potentialiter Spiritus contineat.

§. 54.

Et præter duas illas proprietates jam dictas, scias hoc tertium, inter corpus & animam, quod nos nominamus medium, quod habet posse Unire & Ligare ea ad invicem sine separatione: Et posteà: ille Spiritus, continet in se animam, per quam mortuum corpus revivificatur.

Explicatio.

ULtra jam dictas Spiritus hujus proprietates duas (unâ scil. quâ animæ vita dicitur, & sic cum animâ aliquam participationem habet: alterâ, quod etiam cum corpore participat, in se occultè & potentialiter de naturâ corporis continendo) etiam hoc addit Lullius, quod hic ipse Spiritus etiam cum utroque extremo, anima & corpore, participans, Medium sit, hæc duo extrema copulandi & uniendi ad invicem: quâ unione, non fiat tantùm nuda ἀδιάστασις, sine vita & operatione sive motu, sed quia Spiritus hic animam Lapidis in se continet, simul ita hæc duo inter se unit, ut vitam cum animâ recipiat corpus, & ita iterum revivificetur; quod omne hoc Spiritu fiat intermediante, qui ipse etiam, participans cum utroque hoc extremo, eaque diligens, unâ unione cum iisdem, unitur etiam.

§. 55.

Ergò, hæc est causa motiva, quod conjunctio inter Corpus & Spiritum, per naturalem amorem, & per Dispositionem amicabilem, facta est.

§. 56.

Ipsa enim amabilis Dispositio & Conjunctio amoris, est illa, per quam Conjunctio corporis & Spiritus, se facit esse natura corporis individualis, in quâ est spissitudo corporis potentiâ, cum istis omnibus figuris, quæ intrant primò in substantiam, de subtili Spiritu.

Explicatio.

CAusam singularem & primariam factæ unionis, inter corpus, animam & Spiritum, amorem naturalem Lullius recenset, ratione cujus hæc tria, tanquam de Unico aliquo subjecto decerpta, naturaliter se appetunt, & Natura naturâ gaudet & lætatur. Quod si autem alia anima, aut aliud corpus adhiberetur, tunc inter illa nulla fieret agnitio, nullus appetitus, & nulla deniq; Unio. Occultus igitur hic amor & Sympathia, Unionis pronioris & indivisæ, causa est Vera & Principalis. Uniuntur autem per istum amorem hæc tria, eum in modum, ut, cum in separatione, hæc quævis, quasi tria individua, quodvis per se staret, jam non tria, sed unum fiant Individuum, sive suppositum inseparabile: & in ista Individualitate,

litate, in Spiritualium naturarum, seu figurarum naturâ, corporis spissitudo & potentia sese manifestat, ut corpus ipsum, pari subtilitate, quâ constat anima & Spiritus, ea ingrediatur, subtilitatem suam, non minus, quàm spissitudinem demonstrans. Notandum tamen: hic corpus aliud, præter terram grossam, intelligi, quod ab initio magis potentiâ, quàm actu, corpus est: de quâ corporis differentiâ, quorum alterum est Lapidis consubstantiale: alterum verò, ut locus se habet, posteà dicetur. Hoc autem loco, ut rectè intelligatur, obiter monendum fuit.

§. 57.

Etiam cujus spissitudo elongata est in substantiâ, cum subtili Spiritu, per talem subtilem modum, ita, quod non est oculus corporalis, quo aliquid aliud videri possit, quàm solutio Spirituum, quæ est in formâ aquæ: & sic ipsa anima, & spissitudo corporis, ibi invisibiliter requiescunt.

Explicatio.

DE Corporis subtilissimâ significatione dicere hîc pergit Lullius. Illud autem corpus, ab initiô non est corpus, superficiebus suis comprehensibile, sed est corpus subtilissimum, in metâ potentiâ, intra Spirituales materias, animæ & Spiritûs, invisibiliter, & potentialiter, contentum, quod postea, in vase Naturæ, cum dictis Spiritibus corporescit, & congelando, ex potentiâ in actum procedit. Cujus Coporis ignorantia plurimos

rimos fefellit. Hujus corporis ſpiſſitudo ante Coagulationem, tàm latè patet, in tota ſubſtantia, ac ipſe Spiritus & anima: Itaque etiam eſt tum inviſibile, cum magis ſit Spiritus, quàm Corpus, & in Spiritu animato deliteſcit, eum in modum, ut ad oculum, nil niſi ſpiritus ſolutus, fluens, madefaciens, humidus, viſui appareat. Ineſt ergò tum & anima & Corpus, ſed inviſibiliter: in Coagulatione autem incorporantur, & viſibiles, quin & palpabiles, omnes hæ tres ſpirituales ſubſtantiæ, efficiuntur.

§. 58.

Et tunc etiam apparet, quomodo anima Ligata eſt, virtute & qualitate corporis, & etiam anima eſt, de ſpiſſitudine corporis ejusdem.

Explicatio.

SEntentia eſt: cum etiam corpus hoc, ſit in actu ſubtile, ſubtilitate ſua, ſubſtantiam animæ pervadat, ut ſit quaſi mutua quædam περιχώρησις, interim autem, & anima & corpus hoc, ſint tantũ corpora in potentiâ, oriri inde amorem illum naturalem, quo ſeſe mutuò diligunt, & ſeſe ab invicẽ non dimittunt, ſed ante coagulationẽ, corpus inſit Spiritui & animæ, fieri inde, ut Anima propter æqualitatem cum corpore ligari ſe patiatur, & cum corpore, ſicut antea, paris fuit ſubtilitatis, ita etiã unam & eandem ſpiſſationem ſuſcipiat. Subtili igitur modo, Lullius hucusq; rationes indagavit, quibus fiat, ut Spiritus & anima, cum corpore, tum

tùm quidem incorporeo, simul incorporentur, & corpus fiant Unum Individuale: Subtilia sunt hæc Theoretica, sed pulchra, & Philosopho scitu non indigna.

§. 59.

Ergò, quando Corpus est mortuum ex siti, tunc illud desiderat humectare suam sitim, & bibere, pro Restauratione suæ humidæ naturæ, quam excellenter & potenter perdidit in suâ Calcinatione. Et sic tunc per Restaurationem vivificativam trahit ad se naturam, quam amisit, & intrat in naturam suam, & etiam trahit ipsum multiplicatum de propriâ suâ substantiâ, & exuberatum per naturam sui corporis, quæ effusa est, per totam substantiam Spiritûs.

Explicatio.

REdit hic Lullius ad ea, quæ circa crassum extremũ corpus facienda sunt, opere manuario, & ubi supra §. 40. & 41. opus dimisit, ibi nunc hoc loco continuat: & vult humores ex isthoc corpore extractos, in terram calcinatam infundi iterum, ut imbibantur & detineantur in eo. Jam autem dicit, multò nobiliores esse illos Spiritus, cum potentiali suo corpore, quàm ante separationem, & proinde etiam majoris esse virtutis quam priùs. Virtutem autem eam exuberatam dicit, ratione corporis

ris illius subtilis, de quo in præcedentibus Paragraphis dictum: non corporis illius crassi, quod quidem siccitate sua attrahit res illas humidas spirituales, unà cum spirituali illo corpore. Mutuò autem affundendo, sese pervadunt tria illa subtilia, & terra crassa, idque virtute corporis illius potentialis, de quo hîc Lullius, quod illius natura, per totam substantiam Spiritus (& ita etiam animæ) ut supra dictum, occultè effusum sit.

§. 60.

Et sic illa extractio, quæ facta est per supra dictam naturæ amicabilitatem, est Conjunctionis causa, inter Corpus & Spiritum.

Explicatio.

SUprà §. 48. quid Spiritus præstet animæ in Conjunctione isthâc fuit declaratum: nunc autem vicissim, quid anima præstet Spiritui dicitur, videlicet hoc, ut mediante animâ, Spiritus etiam corpori suo conjungatur, quod inter corpus & Spiritum fieri, fuisset impossibile, nisi Spiritus, ratione amabilitatis suæ, animam priùs extraxisset, eamque intra se recepisset. Mutuæ igitur partes hæ componentes, auxiliares sibi invicem, pro faciendâ Conjunctione, præstant manûs.

§. 61.

Et de illâ Conjunctione Philosophus ad Filium Veritatis sic dicit; Quia, si Conjunctio non fuerit facta, inter Corpus & Spiritum, nunquam

quam fiet ibi conceptio: & si non fuerit Conceptio, nunquam potest fieri Imprægnatio, & ubi non est imprægnatio, ibi nunquam Nati potest fieri Generatio. Et sic isto modo, potest videri, potestas istius Conjunctionis.

Explicatio.

VErba isthæc ex Morieno sunt deprompta & monstrant, quinam gradûs Partum terræ (uti Lullius in Codicillo appellat) præcedere debeant; nimirum Conjunctio, & ex eâ Conceptio, quâ factâ, Terra prægnans dicitur, quæ deinde, gradu Sublimationis, parit ex se, conceptum Filium. Positâ autem Conjunctione, reliqui gradûs sponte, suo ordine, sequuntur.

§. 62.

Et propter hoc, manifestat Philosophus, quod Generatio nostri Lapidis, assimilatur humanæ Generationi, ex istâ ratione: quia, quando infans nascitur, tunc nutriendus est tandiu, donec benè fortis & patiens est, contra Ignem, seu Ignis substantiam.

Explicatio.

ET hæc sententia ex Morieno deprompta est, & videtur deesse aliquid in Protheſi & in Apodesi, sic restituendum. Quemadmodum infans extra uterum eductus, perfectus quidem in se est, secundum omnia sua membra & partes: atqui tamen sic adhuc est & infirmus, & multâ Nutritionis indiget Educatione, dum debitum robur

robur acquirat: ita etiam Lapis hic, quando nascitur per partum Terræ, de se quidem est integrè perfectus, ratione omnium suarum partium, & requisitæ Compositionis, ita ut ab extrà, nihil amplius illi accedere possit aut debeat. Interim autem tenuis est, neque robur suum fixionis habet: ideoque indiget Nutritione & Educatione, donec paulatim ita roboretur, ut perfectè fixus, omni violentiæ Ignis, perpetuò resistere possit, quod fit in secundâ operatione: sicuti id posteà §. 82. 83. 84. 85. fusius docebitur.

§. 63.

Et non æstimes, quod tunc compleveris, ubi modò primùm incipere debes, quia adhuc non vidisti Secretum, quod retentum est Filiis Veritatis demonstrandum. Et illud modo hic incipit, in secundâ parte, de Nutrimento Lapidis.

Explicatio.

SEntentia est: Multum quidem laboris usque hûc interfuisse, donec tandem, factâ coagulatione, materia, per sublimationem, ex terrâ separata & producta fuit, quæ & Lapis & sulfur vocatur, & Infans natus. Hîc autem metam laboris non esse ponendam, cum restet alius insuper labor, Operationis secundæ, perficiendus, sine quo, reliqui antecedentes labores omnes frustranei sint. Restantem autem Laborem, Nutritionem Nati jam Lapidis seu Infantis, Lullius nominat.

§. 64.

§. 64.

Quantò hîc magnæ transmutationes illius Lapidis, secundum posse, manifestantur; de tantò magis transmutationes videbis, & multorum mirabilium Secreta, & potestas Naturæ manifestabitur tibi visibiliter, coram oculis tuis.

Explicatio.

QUis proprius sit color nati Infantis seu Lapidis, ex prima operatione ad finem deducti, supra §. 4. 8. 10. 27. dictum est, & postea §. 76. 79. dicetur, nimirum albus, candidus, tanquam Luna resplendens. Hic autem Lapis, licet adhuc volatilis, in secunda Operatione, non tantum in varios colores, sed & varias figuras continuè transmutatur: & quò magis hi colores innovantur, eò magis mirabilia Naturæ in illo visibiliter multiplicantur, donec tandem ad albedinem fixam deducatur. Apparet autem ex isthoc Paragrapho, manifestè discrimen, inter primam & secundam Operationem: ut &, quod huc usque dicta, de Conjunctione, animæ, corporis & Spiritus, primam spectent operationem; in qua Colorum illa variatio locum non habet, sed ea secundæ operationis propria est.

§. 65.

Et illud Secretum, nulli hominum carnali revelare expedit: quia maledictus eris per tanti Secreti manifestationem. Quia nemi-

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn788378279/phys_0077 DFG

mini revelare licet, nisi SOLI DEO. *Ipse enim, cui vult, & quibus interest revelari, illis revelabit, & non aliis: quia est donum DEI, & nullius mortalis hominis: Et, cui Dominus* DEUS *fecerit tantam gratiam, illi hoc Secretum Naturæ revelabit, & secundum suum placitum, quod in ipsius virtute ac potestate locavit.*

Explicatio.

MOnet hoc Paragrapho Lullius, discrimen observandum inter eos, quibus grande hoc arcanum, revelare aut celare deceat. Non omnibus ex æquo revelandum, sed iis qui religiosi, & verè DEUM sunt timentes. Si namque perversis hominibus Ars hæc concrederetur, hoc nihil aliud esset, quam furiosis hominibus, gladios in manus porrigere.

§. 66.

TERRÆ VIVIFICATIO.

Scias, Fili, quod necessarium est in illâ vivificatione, ut terra recuperet illud, quod perdidit, & quod suus Spiritus humidus, reportetur in Corpus suum siccum, per naturalem transmutationem.

Explicatio.

HIc aliquantò fusius Theoricè & Practicè ea, quæ de Creatione sulfuris, & Congelatione Spiritus, animæ & corporis, suprà dicta erant, incipit Lullius enarrare. Et quidem nisi terræ humidum

humidum ſuum reſtituatur, fieri poſſe vivificationem negat: interim non nudam, ſed talem Appoſitionem ad terram illam calcinatam requirens, in qua ſimul & transmutatio quædam Spiritus, corporis & animæ, eveniat.

§. 67.

Illa autem non poteſt fieri per potentias, ſeu Ingenium naturale: ſed ingenium Naturæ eſt Locus noſtri ſulfuris, ſcilicet in complexione & Unibilitate.

Explicatio.

QUaliter fiat Transmutatio illa, humidi in ſiccum, proponit Lullius: quod ſcil. ſi aqua illa (in quâ Spiritus eſt, anima & potentionale corpus) per ſe & ſola coqueretur, aut digereretur: nulla tamen per Naturam, inde conſequi poſſit Congelatio, aut Transmutatio: hoc enim in Naturæ viribus & poteſtate ſitum non eſt. Ut autem ſeſe mutuò hæc complectantur & uniantur, requiri corpus illud calcinatum, ſuper quo fiat congelatio & tranſmutatio illa: quemadmodum in animalibus, Matrix (licet non ſit de Embrionis ſubſtantia) locus eſt generationis, extra quem nulla animalis alicujus, fieri poteſt Generatio: ita & calcinatum illud corpus ſe habet inſtar Matricis, & in illo corpore, poteſt Naturâ, ſupra dicta Tria, unire, ut ſeſe invicem complectantur & transmutentur.

Nota. Non poteſt Natura Philoſophicam hanc unionem, in ſulfuris creatione, per ſe perficere.

cére. Exhibet autem nobis vim suam, per terram illam sitientem, quæ materias illas attrahit, & in cujus sinu, illæ transmutando, ad invicem convertuntur & uniuntur.

§. 68.

Et ex his habetur causa necessaria, scilicet, quòd granum spermaticale, quod est humidum & calidum, hoc transmutare habet.

Explicatio.

QUemadmodum Matrix in animali, competentem Generationis locum exhibet: interim autem non est propria coagulati Embrionis pars aut causa, sed sperma masculinum, per quod, in loco naturali, coagulatio propriè contingit: ita non sufficit locus naturalis in arte, quin & spermatica propria adsit causa, granum nimirùm spermaticale, quod in hac arte humidum & calidum nuncupatur, benficio cujus, Congelatio & Transmutatio istiæc in materiis oboritur.

§. 69.

Ideò Philosophi consideraverunt, dicendo: Quod totum illud facit Una Natura, quoniam ipsa, de Dispositione in Dispositionem conversa est: & in tali Dispositione, ipsa natura transmutat: & sic etiam granum tali modo transmutat. Et hoc intelligendum, de calido & humido Spiritu.

Expli-

Explicatio.

EX grano illo Spermaticali, tanquam ex causa propinquâ & propriâ oriri transmutationem, Lullius affirmat: ita tamen, ut hæc omnia non fiant sine Natura, quæ est causa universalis & prima omnium mutationum. Ideoque hanc transmutationem humido grano spermatico autor adscribit, ne sc. Natura excludatur, quia Natura illud ipsum granum, per suas Dispositipnes, transmutare dicatur.

§. 70.

O Fili Veritatis, per istam Transmutationem Philosophi notant, quod terra Lapidis debet privari, de totâ sua humiditate tandiu, quousq; conversa fuerit in qualitatem siccam.

Explicatio.

CUm Terra Lapidis in se habeat varios humores seu humiditates, necesse est, illos omnes & singulos à terra illâ separari. Ideò ab initio quidem separatur Spiritus, qui & ipse, ex parte, de natura aquosa est; deinde, omne phlegma: abhinc & omne adustibile oleaginosum, ita ut nullus prorsus, neque radicalis, neque accidentalis humor, in illa sit residuus, & ita perfectè Terra isthæc sit, ab omni humido suo evacuata. *Nota*: Istam transmutationem) Hæc possunt etiam intelligi de terrâ volatili potentiali, ut quæ actu non comparet, donec omne phlegma ab eâ fuerit ablatum, & in siccum ea sit conversa. *Nota*: Terra

crassa non transmutatur. Ergò alia terra hîc intelligenda est.

§. 71.

Et post hoc concludunt, quod humiditas conversa fuit in siccum locum suum. Hoc intelligendum est; id est, in propriam suam terram: quia illa est proprius locus Generationis nostri Sulfuris.

Explicatio.

IN Imbibitione & Infusione, humiditates radicales illæ (Spiritus, Anima, & Corpus) revertuntur in propriam suam Terram, quæ, etsi non exhibeat jam, Infanti Philosophico, aliquid de suâ Essentiâ (in quantum jam talis est terra: ea autem antea, de se, Animam, Spiritum & corpus, humida scilicet illa radicalia, edidit per separationem); habet tamen se, ut Locus naturalis, & ea sola est destinata, ut Matrix, quo intra eam illa fiat Transmutatio, dum Terra sitibunda, magno desiderio & appertitu, humorem illum bibit, & eo modo illum retinet, ut possint omnia heterogenea & phlegmatica, perfectè ab homogeneis (quod nullo alio artificio erat possibile) separari, exhalare & evaporare, & intimè, quæ radicalia sunt humida, coire, uniri, & in siccam suam naturam converti, & sulfur, in hoc loco suo, generari.

Nota. Quæstio: Wo die humiditas superflua hinkomme? R. Terra inferior zeucht sie an sich: sie fit separatio vera hujus superfluæ humiditatis.

§. 72.

§. 72.

Et hoc tunc apparebit manifestò, quod illa terra, illud ante dictam suam Præparationem, & Calcinationem, non facit. Et tamen ipsa post Calcinationem, hoc facere habet, propter calorem ipsius naturalem, qui fuit confortatus, per subtractionem humiditatis, quæ habuit eum mortificare, & totaliter submergere.

Explicatio.

QUàm necessaria sit terræ hujus Calcinatio, docet Lullius, quandoquidem sine eâ, terra hæc, ad procurandam Coagulationem sit inutilis: Duo autem eidem per Calcinationem conciliantur Coagulationis adminicula. Unum siccitatis, quâ avidè humorem imbibit & ad se rapit, retinetque terra; Alterum caloris, per subtractionem phlegmatum, adaucti, per quem attracti radicales illi humores, digeruntur, & ad Coagulationem & Transmutationem, excoquuntur, in interno calore, cum externo concurrente.

§. 73.

Et tunc terram illam præpara, & benè calcina, per rationem Philosophicam, antequam ad eam, semen tuum seminaveris, quod nos multùm diligimus.

Explicatio.

SEmen est anima, aut Sulfur: antequam id credi possit huic terræ, necesse est illam præ-

parari Calinationis, sæpius jam repetitæ, beneficio, ut suprà aliquoties.

§. 74.

Et ergò post, recipe terrā, & cum eâ, quartam partem ponderis sui de Spiritu: & post, pone ad vas tuum, quod nos apellamus Retentorium, & loca ad furnum, continuando ignem lentum tandiu, donec Spiritus omnis coaguletur in terram.

Explicatio.

DOcet Lullius, quomodo Sementis in terrâ dispositâ facienda sit, nimirum quartæ partis (proportione ad terram calcinatam) animati Spiritus affusione, & lenta coctione. Ponderis ratio hæc est: ne scil. fiat submersio & suffocatio, per quam Coagulatio impediretur. Lenti Ignis ratio, supra §. 9. 10. 11. 13. explicata est. Tempus hîc nullum certum ponitur: Coagulationem autem factam esse, inde cognoscitur, quod tum nihil, præter meram phlegmaticam aquam, ascendit; quo signo deprehenso, phlegma est destillatione, usque ad terræ justam desiccationem, extrahenda.

§. 75.

Scias Fili, quod Corpus, quod est mortuum, illud inducit se albis vestimentis, sicut, si DEUS voluerit, tu videbis, quando illa prædicta experimentabis.

Expli-

Explicatio.

SIgnum veræ factæ Coagulationis, ex coloris mutatione sumitur: quia per singulas repetitas coagulationes materia de albatur, & candor magis magisque intenditur.

§. 76.

Istas operationes, Fili, reiterabis tandiu, donec videris terram, totaliter albam, ad modum nivis. Et sic tunc terra est ingrossata & imprægnata, cum æternâ claritate, quæ habet infantem parere.

Explicatio.

SEmper quarta pars ponderis terræ, de aquâ seu Spiritu animato, abstracto phlegmate prius de terrâ, affundenda est; idque toties repetendum, dum propositum nivalis candoris signum appareat, & imprægnatio facta, visu perpendatur: Tunc nihil amplius supereſt, quam Partus hujus Infantis, qui & Partus terræ, alibi à Lullio nominari solet.

§. 77.

Ille enim partus finem imponit, scilicet, quando Spiritus congelatur in sulfur, quod operatum erat de terrâ, & desiderabat in eâ splendidam claritatem, ad finem illum, quod ipsa esset pura, & sine corruptione: & quod esset supra impuram & corruptibilem.

Explicatio.

DE Imprægnatione dixerat supra, Lullius, & §. 76. restare tunc Partum significaverat. Jam verò, quid importet ille Partus, explicat: nimirum, partu facto, finem imponi operi manuario, quandoquidem ultrà non habet artifex, quod in preparandâ & creandâ isthâc materiâ, sibi insumat: & si maximè ulteriùs procedere vellet opere manuario frustrà id vellet. Hic namq; primæ operationis terminus hæsit. Partum autem (Spiritu jam in sulfur congelato, nec ante) suscipiendum docet. Finalem autē causam congelationis & omnis præcedentis operationis, eam esse dicit, ut videlicet puritate & claritate, omnibus relictis impuritatibus, sulfur illud excellere possit: & deinde, in sublimatione ab omni impuritate, localiter etiam sequestretur. De Partu autem Terræ, videatur Codicillus Lullii cap. 53. § Partus verò terræ &c.

§. 78.

Et, secundum istum modum, quando terra fuerit benè alba, tunc fili, extrahe eam ex suo vase, & tere eam, ut fiat pulvis minutissimus, & hoc fac super laminam vitream.

Explicatio.

REpetitur prius illud signum, ex quo Sulfuris creatio cognosci possit, bona scil. Dealbatio. Tunc eam ex vase coagulationis exemptam, subtili modo, eò conteri jubet, quod è materia subtili, materia sublimanda, promptius educatur, quando scilicet, omnes partes æqualiter sunt comminutæ. Super Laminam autem vitream, conteri

teri jubet Lullius, ne cum aliqua alia impertinenti materia fiat mixtio, puritatis debitæ turbitiva.

§. 79.

Post iterum imponatur suo vasi, lutando ejus junctluras benè, & ponatur ulterius supra furnellum, & accendatur Ignis, continuando per triginta horas: & invenies in angulis & parietibus vasis Infantem natum resuscitatum, per modum pulveris albissimi, pulcherrimi, & tam clari, & in tali claritate, sicut corpus Lunæ.

Explicatio.

SUblimatio describitur, quæ debito quidem, non tamen nimis violento igne perficitur: alioquin sulfur illud sublimatum, aut in vapores conversum evanesceret, aut liquaretur in superioribus vasis partibus, & liquatum ad latera, usq; ad feces defluëret; ut aut vas rimas conciperet, aut materia sublimata, fecibus misceretur, à quibus nullâ arte, ut Geber. lib. 1. Summæ Perfectionis cap. 45. monet, separari iterum posset. Colorem quod attinet, eum describit tali modo, qualem etiam Trevisanus suæ adscribit Fontinæ, cœlestem, resplendentem, tanquam Lunam, seu argentum splendidum.

§. 80.

Custodi ergò illum valdè honoratum, quia ipse est terra nostra foliata, & de Spiritu corporum sublimandorum, conversa in terram foliatam.

Expli-

Explicatio.

HIc natus & resuscitatus Lapis, diligenti custodia dignus est & honorandus: quia hæc est vera terra foliata, in qua corpora Solis & Lunæ insunt spiritualiter, quæ & suo tempore, in Operatione secunda, suos producunt Effectus, & maximè in Fermentatione. Notetur ergò hîc, quid sit Sol & Luna Philosophica, non corporalis, sed merè spiritualis, quæ & tandem & ultimatè, in verum fixum Aurum transeunt Philosophicum. Quemadmodum enim Natura, ex grosso corporali sulfure & argentovivo, Aurum commune efformat: ita Ars ex sulfure & argento vivo, subtilissimis & spiritualissimis, tandem efficit verum, fixum Aurum Philosophicum, quod est Rubedinis Tinctura, ut Geber Aurum definit. Notanda etiam Conversio illa, qua Spiritus in terram foliatam jam conversus est.

§. 81.

Et in eandem semina animam, quæ est tinctura totius claritatis. Ipsa enim est verum medium Sulfuris & Arsenici, & nostri Lapidis, qui habet facere pacem, inter inimicos mortales, quos maximè desiderat.

Explicatio.

IN isthac terrâ plura inesse dicuntur, ut, anima, quæ & tinctura dicitur claritatis omnis, in potentiâ: sulfur item & arsenicum, Elementa quatuor: quorum quædam inter se summè contraria, Sol item & Luna, aliaque. In secundâ autem

tem Operatione varii sese produnt Effectus, inter quos etiam est pullulatio Claritatis tincturificæ, quæ cum successivè fiant, multa artifici perficienda mandantur, quæ tamen ab ipsâ fiunt Naturâ, inter quæ etiam est animæ seminatio, copulatio Sulphuris & Arsenici, id est, rubeæ & albæ tincturæ; unio etiam Elementorum contrariorum, ut tandem sibi reconciliata, in unum copulentur & Unum fiant. Et hæc omnia, in Coctione secundæ Operationis, sine aliquo Artificis labore, sponte eveniunt.

§. 82.

Et ex quo Lapis ille erit corpus aureum (lege aëreum) spirituale & incorruptibile: tunc propter illam rationem, ipse tenet virtutem utramq;, & de Una sicut de aliâ: illo non obstante, quod ille sit in tantum perfectus, sicut sua corporalitas: non tamen sic est in operatione.

Explicatio.

POstquam absolvit Lullius Operationem primam, docuitque, in hoc nato & resuscitato sulfure, sive Lapide, quoad substantiam, omnes perfectionis partes inesse: docere jam vult, nondum perfectionem, quoad operationem, in perficiendis metallis, aliisque medicinalibus Effectibus, in actu materiæ, seu Lapidi huic, contributam, sed Opere secundo demum complendam esse. Perfectus igitur est Lapis hic sublimatus in puritate, incorruptibilitate, spiritualitate, & corporali-

poralitate: verum, quia fixus est nondum, neq; etiam in Igne perseverare potest: ideò restat alius labor, in quo igni assuescat, & in eo ad stantem, perdurantem & figentem perfectionem, adducatur, necesse est. Errare igitur eos indicat, qui absolutâ primâ operatione, nullam aliam restare putant: quia hic Lapis operatione Chemica caret: licet fortassis ad artem medicam, haudquaquam videatur inutilis. Habet enim se post suam nativitatem, instar tenerrimi Infantis, qui Nutritione suâ, successivè robur acquirit, donec perfectè robustus fiat.

§. 83.

Quia non potest, tandiu, donec sit nutritus: sic, quod habebit operandi potentiam. Et hîc invenietis fortitudinem sui Nutrimenti.

Explicatio.

AB initio Operationis primæ, quin & ante veram albedinem, Lapis hic nihil operatur firmiter, in metallorum imperfectorum perfectione: quando autem per Operationem secundam plenè pertransiit, tum verè fixus est, & inceratus, ut subtilissimè fluens, omnia penetret, & in Aurum & Argentum verum transmutet, Absolutâ igitur Nutritione, fortitudo ab initio desiderata, emergit perfectissimè.

§. 84.

Et illius propositi fuerunt Antiqui, quos ego vidi in Societate Regis Ruperti, qui de illo Lapide

Lapide, projectionem fecerunt, ſtatim poſt ſuam Creationem: & quum viderent, quod non eſſet nutritus in fortitudine ſuâ, & etiam, quum non invenerunt de perfectione ipſius: poſt hoc ingeniati fuerunt rationem & poſſibilitatem Operationis: & inceperunt operari de illo pulchro opere, quod eſt ipſius Medicinæ comparatio, & Nutrimentum Lapidis.

Explicatio.

REcenſet Lullius hoc in loco Exemplum de Artificibus, apud Rupertum Regem, repertis: qui primam quidem operationem feliciter abſolventes, alteram & ſecundam adhuc operationem reſtare ignorabant. Et veriſimile eſt, cùm Lullio amicitia cum Rege illo interceſſerit, Lullii libros etiam illi fuiſſe communicatos, ex quibus primum opus cognoſcentes, illud quidem perfecerunt: Practicos autem Lullii libros non perceperint, quemadmodum totus liber Practicus Teſtamenti, ut & codicillus, ſolummodò ſecundum pertractant opus. His ſubveniſſe videtur Lullius: illisque ſecundi Operis modum, in Practicis illis Scriptis, miris modis obtectum, revelaſſe: quo facto, ad ſecundum opus accedentes, rem omnem feliciter ad finem exoptatum perduxêre: In ſecundo autem Opere, Medicinæ ſeu Tincturæ Comparationem ſeu aſſecutionem fieri docet. Opus autem illud pulchrum, non immeritò appellat, propter admirandos colores,

variasq; alterationes, quibus propè omnia, quæ in Cœlo & terrâ continentur, tanquam in Speculo quodam, summâ admiratione cernuntur. Nutrimentum tamen non dicitur, quasi (ut in communi naturali Nutritione) aliqua fieret nutrimenti appositio: cum nihil in Mundo, huic Lapidi semel nato, apponi debeat, nisi quis totum opus destruere velit: Sed habet in se omnia, quibus indiget, & Ignis est ipsius rectissimum Nutrimentum, ut quo lætatur & perficitur.

§. 85.

Et illa est, secunda & ultima pars ipsius Magisterii totius.

Explicatio.

INgens & principalis quorundam est error, qui totum Opus unicâ tantum operatione perfici opinantur, cum sint operationes duæ distinctæ, sed sese mutuo consequentes.

§ 86.

Propter hoc, Fili, potes intelligere Secretum Operis Philosophorum, divisum in duas Partes. In primâ, docet informare Sulfur: in secundâ, donec convertere Sulfur, in Medicinam fixam & fluentem.

Explicatio.

NOn tantum hoc §. docet Lullius, duas operis partes, seu duas distinctas operationes, sed earundem Effectus finales: primâ scil. operatione, præparatur Sulfur seu Materia Philosophica, ut supra: Secunda verò operatione, illa perficitur

ficitur in Medicinam seu perfectam tincturam.

§. 87.

Sicut docet Morienus, in libro suo, dicendo. Quod totum Magisterium nostrum, necessariò fieri debet, in duabus Creationibus, & illæ mutuæ Causæ Creationis, sunt sibi proximæ in Natura: quia, quando prima Creatio completa est, tunc incipit secunda pro opere Medicinæ: & quando secunda est completa, tunc totum Magisterium est completum.

Explicatio.

ADducit Lullius authoritatem Morieni, qui brevibus verbis, utramque recensetoperationem, & illarum inter se mutuam docet Connexionem, ex ordine.

§. 88.

Et, Fili Veritatis, intellige, quod nos in primâ operatione nostræ artis, purgamus & præparamus materiam, pro sui Sulfuris Creatione. Quâ præparatâ, modo in secunda operatione, componimus & creamus Medicinam, quæ habebit tantam virtutem & posse, ut patebit.

Explicatio.

VLtra binæ operationis mentionem, docet primæ operationis partes, in purgando & præparando, finem autem ejus, in Sulphuris Philosophici

losophici creatione : alterius verò in Compositione Tincturæ consistere. Posterior verò pars illa est, quæ alibi, propter facilitatem, Ludus puerorum, & laborm ulierum dicitur, in quâ Perfectio finalis est.

§. 89.

Et ideò primò debes creare suum sulfur, quia sine eo, non potest aliquis facere Elixir Completum. Et quando creasti Sulfur, tunc incipit Opus Philosophicum.

Explicatio.

OPus Philosophicum, propriè est illud opus, quod in vase unico, eoq; Hermeticè occluso, solo Ignis Regiminis continuatione, perficitur. Illud autem opus per se requirit unicam & solam illam MATERIAM, quæ ex priore opere præparata, & Sulfuris nomine est indigitata.

§. 90.

Et non habeas tædium in ipso nutriendo, & nè festines, quia scriptum est, qui Patientiam in opere non habet, & non inspicit in nostris libris Naturæ mutationem, ille propter festinantiam corrumpit opus. Ideò Patientiam te habere oportebit, & nutrire ipsum tandiu, donec de illo Lapide facere poteris projectionem. Et illud Secretum, cum Perfectione sua, est demonstratum Filiis Veritatis.

Expli-

Explicatio.

HOc vult dicere Lullius 1. ſecundam operationem eſſe prolixioris temporis, ideoque & patienter temporis tædium eſſe ſuſtinendum. 2. Si quis, calorem intendendo, ſe opus promoturum ſperet, eum non promovere, ſed deſtruere opus. 3. In libris Philoſophorum eſſe ſigna mutationum obſervanda, & ſine illis nil temerè faciendum. Illi enim Libri per colores & alia ſigna, totum ſecundi operis ſucceſſum, deſcribunt: ad quos libros operantem intentum eſſe oportet. 4. Finem perfectiſſimum, ex projectione apparere: quæ ubi perfectè tingit metalla, ipſa jam eſt perfecta materia, ſin minus, imperfecta.

§. 91.

Et hæc eſt prima pars de Creatione Lapidis, & præparatione materiæ illius, de qua noſtra Medicina creari debet.

Explicatio.

EST Epilogiſmus Operationis Primæ, docens: quid hucuſque, de Creatione Sulfuris, ſive Lapidis, fuerit pertractatum.

§. 92.

Et, Fili doctrinæ, ſi illa materia ſulfuris, non fuerit benè præparata, tunc ex illâ, nullam tibi Medicinam creare poteris. Quia ſcriptum eſt, de ordine Naturæ, quod materia non præparata, non poteſt (quis) facere aut creare, cauſam præparationis.

Explicatio.

NEceſſitatem explicat Lullius, Creationis, & quidem diligentiſſimæ præparationis Sulfuris Philoſophici, ut, ſine quo diligentiſſimè & puriſſimè præparato, totius operis Intentio, impetrari poſſit minimè. Hâc enim præparatâ materiâ non habitâ, aut eâ negligenter præparata, omnia fiunt præter ſcopum; neque, ſi maximè, malè præparatâ materiâ, ad finem deducatur, metalla in Solem aut Lunam, ſed (de quo Geber monet) in imperfectum aliquod transmutaretur metallum.

§. 93.

Præpara ergò primò tuam materiam, & ſepara ſubtile à ſpiſſo: & nobile de vili. Et quando res præparatæ fuerint, tunc exibit cauſa Præparationis, ſicut de Lumine exit ſplendor.

Explicatio.

GEneraliter monet Lullius, ne quem, in præparatione primæ Operationis, laborum aut diligentiæ tædeat, quandoquidem primâ operatione neglectâ, omnia etiam in ſecundâ operatione, malè ſint eventura. Attentione igitur indefeſsâ opus eſt: & hucusque de operatione Primâ, neceſſariâ, ſummâ diligentiâ, nobis expoſuit Lullius.

***

SE-

SECUNDA PARS
De
CONFECTIONE
MEDICINÆ.

§. 94.

Nunc, per Secundam Partem, colorabit se Lapis, fixatur & fermentatur.

Explicatio.

SEcundæ operationis signa & φαινόμενα Lullius docet. 1. Colorum variegationem, à Candidissimo, per varios colores, usque iterum ad albedinem, & denique etiam rubedinem firmam & fixam. Quorum colorum successio, in primâ operatione locum non habet, sed solummodò in secundâ. 2. Volatilitas materiæ in Opere secundo, paulatim cessat, & omnia tandem in fixissimam (liquidissimam tamen) abeunt substantiam. 2. Fermentatio actualis, in Albo & Rubeo, ad Tincturificam Naturam sese exerit.

§. 95.

Fermentum autem Lapidis ad Album est argentum, & ad rubeum est Aurum, sicuti Philosophi demonstrant. Quia sine Fermento, non venit Sol vel Luna, neq; aliquid aliud, quod sit suæ Naturæ.

Explicatio.

SIcuti ex crassiore materiâ, in Generatione Metallorum naturali, tandem fit Aurum: ita & Aurum Philosophorum, ex puriore & subtiliore materia oritur: non tamen vulgare, sed tingens, propter materierum, harumq; præparationis diversitatem. In colore autem albo fermentum Lunæ, in rubeo verò, fermentum solis operationem suam exerere dicitur. Sol autem & Luna illa, vulgaria non sunt, sed tincturæ ipsæ, & tincturifica: ex quibus dein, pro colorum diversitate, tinctura in corpore formatur.

§. 96.

Conjunge ergò Fermentum cum Sulfure suo, & generare poterit suum simile. Quia Fermentum trahit sulfur ad suum colorem, & etiam ad suam naturam, & ad pondus, nec non ad saporem, & sonum suum. Quia quodlibet simile, generat suum simile: Quia Fermentum, ut Sol, tingit & mutat suum Sulfur, in Medicinam permanentem & penetrantem.

Explicatio.

CUm Sulfur id, ex arte creatum, sit quasi generale quoddam semen, successu temporis, potentiale corpus, Solis & Lunæ, seminatum, in coctione vigoratur: & quemadmodum per semen frumenti, humor generalis, ad certam speciem, hujus aut illius seminis transfertur: ita & hoc in opere,

opere, insitum illud Spirituale Solis & Lunæ semen, ad sui naturam, humorem & substantiam Sulfuris ad se attrahit, & in suam convertit Naturam mineralem, & quasi metallicam. Quæ attractio, assimilatio & conversio, similitudinariè per Fermentationem declaratur. Cujus ignorantia fefellit multos, ut Aurum & Argentum vulgare intelligerent, & materiæ apponerent: cum tamen Aurum & Argentum hoc spiritualia sint & potentialia, in Sulfure prædicto jam contenta & seminata, & in melius quotidiè proficientia, donec materia evadat Lunifica & Solifica.

§. 97.

Ideò dicit Philosophus: Qui novit Sulfur & argentum vivum tingere cum Sole & Lunâ, ille pervenit ad maximum Arcanum.

§. 98.

Et propter hoc oportet, quod Sol & Luna, sint tinctura & Fermentum Spiritus & Aquæ permanentis argenti vivi. & per illam Aquã aliæ naturæ debent fixari & nutriri cum naturali calore tandiu, usq; quò habebunt suam fixationem, & fusionem perfectam.

Explicatio.

IN creato Sulfure, inest aqua permanens argenti vivi, in eodem etiam Sol & Luna: in hisce vis Tincturæ albæ & rubeæ: & virtus fermentifica, ut & fixatoria & Cerativa: in naturali calore fovente, inest virtus, quæ vim dictis rebus insitam

movet intrinsecus, ut tandem & Fixatio & Ceratio, subsequantur perfectè in aqua permanente, & per hanc etiam in rebus, materiæ essentialiter insitis.

§. 99.

Post hoc, fit Regimen Conjunctionis Lapidis, cum suo fermento, scilicet, usq; donec ad completum suum opus perventum sit.

§. 100.

Et hoc non fit Unâ vice simul, quia hoc de Intentione Naturæ non est, sed benè per copulationem fit vera Medicina uniformis.

Explicatio.

ESt & fit hæc Conjunctio paulativa, opere naturali (neq; manuario) dum omnia hæc unita, quotidiè & longè arctius inter sese copulantur, & uniformiter uniuntur, in æternum porrò inseparabilia.

§. 101.

Et propter hoc, illa Copulatio causatur à subtilibus partibus, transmutatis & alteratis, in formam & essentiam Spiritualem. Quia scriptum est, quod corpus crassum cum simplici: & simplex cum crasso, propter eorum contrarietatem, se conjungere non possunt, nisi crassum convertatur in subtilitatem suam, per suum simplicem spiritum, & tunc sint commiscibilia simul.

Expli-

Explicatio.

SPiritus coagulatus, licet sine animâ Coagulatio illius fieri nequeat, abstractivè tamen, secundũ suam substantiam simplicem & Efficaciam considerari potest: quandoquidem inter animam & corpus computando, hisce duabus substantiis, non modo est subtilior, sed & per suam subtilitatem, reliquas partes componentes, magis subtiles reddere potest: & per varias alterationes, per ipsum, fit illa subtiliatio. Quo subtiliores autem fiunt partes, eò aptius, ad condensationem præstandam, sese habent: inde & arctior unio consequitur, quæ porrò in sempiternum est indissolubilis.

§. 102.

Et hoc notificant Philosophi, declarando cuidam Veritatis filio, & dicunt: quod perfecta mistura est, commiscibilium alteratorum corporum, per indivisibilia sibi junctorum Unio: quia illa hîc requiruntur per patentem rationem. Quia mistio sive Unio, non potest fieri sine alteratione: quæ est subtiliatio corporis, & Reductio in formam spiritualem.

Explicatio.

NEcessitatem extremæ subtiliationis faciendæ, pro intimâ, & in æternum inseparabili Unione, constituendâ, Lullius & authoritate Philosophicâ, & ratione naturali, de mistibilium alterato-

teratorum unione, physicè confirmat. Oportet enim corpus Spirituale reddi, & vicissim Spiritum ita incorporari, ut utraque tenuissimam & subtilissimam substantiam non amittant, sed inter se communicent.

§. 103.

Et, de illa parte dicunt Philosophi, quod jam Medicina completa est, ab unâ manerie in aliam maneriam Chrystallinam. Et, tunc apparebit, quod illa lamina composita est, de subtilibus partibus naturalibus, per naturale ingenium Uniformiter conjuncta, sine divisione illarum partium, per modicum & iterum modicum. Quia talis causa (res) non potest fieri, sine subtiliatione & homogeneitate Naturæ.

Explicatio.

PLeraque jam satis sunt explicata. Loquitur autem hîc in specie Lullius, de materia ad albedinem deducta, quæ Auro præponderare dicitur à Gebro: & à Lullio Chrystallina appellatur, talis per summam subtilitatem reddita. Notandum interim, hæc omnia, haudquaquam manuaria, sed naturali operatione fieri, ne quis putet, manibus istam operationem posse perfici.

§. 104.

Et propter hoc convenit, ut veniat illa materia ita subtilis, quod omnes partes in natura æquales, sint mistæ cum aqua.

Expli-

Explicatio.

SUbtilitatis ratione, omnia ad æqualitatem reducta, & cum Aqua permanente fixo modo, unita esse debent.

§. 105.

Et hoc videre poteris per tuum intellectum, cum factum sit unum Corpus transparens, & in Unum continuatum, per Conjunctionem & connexionem multarum partium, sine divisione, discontinuatione, & terminatione, in Unam spissitudinem, & figuram transparentem, per omnes suas partes. Jam, Fili, tu modo habes non modicum secretum.

Explicatio.

HÆc intelligenda sunt in ortu animæ, seu argenti vivi, propriissimè philosophici, adhuc currentis in calore, & non proprio suo termino terminati, sed in Naturâ suâ sumpti, quod, divino modo, mox statim perfectè postea figitur, & in pulverem discontinuatur, fulgidissimè candidum. Tum enim Alba Tinctura verè completa demum dicitur.

§. 106.

Scias nunc Conjunctionem, inter Sulfur & fermentum, in forma homogenea. Illumina primò corpus, antequam imponas animam: quia aliàs nunquam posset suscipere, aut in se retinere Spiritum.

Expli-

Explicatio.

SUmma Homogeneitas apparet in Aquoso Christallo: summa verò puritas in candidissimo colore. In homogeneitate autem vicinitas est veræ perpetuæ Conjunctionis, ad quam deinde vera sequitur Fixio, & propter homogeneitatem in aqua permanente, facillima fusio: per subtilitatem autem Ingressio & subtilissima penetratio. Cæterum, administrato igne, hæc omnia Natura, per se perficit. Fixio autem, ante summam depurationem, nulla est.

Finis Commentationis in Apertorium R. Lullii.

APPENDIX

Notandorum ex R. Lullii scriptis, ad majorem intelligentiam hûc facientium.

SPIRITUS.

1. *Spiritus Phlegmate mortificatur: Igitur ab eâ separetur.*
2. *Spiritus habet potentiam vivificandi suam Terram.*
3. *Spiritus à Phlegmate purgatus, dicitur tunc SPIRITUS LAPIDIS.*
4. *Spiritus hic Igneus est.*

5. Quando

5. Quando Corpus intrat & resolvitur, tunc dicitur LAPIS BENEDICTVS.
6. Cavendum, ne Spiritus in præparatione comburatur.
7. Spiritus hîc videtur etiam dici Anima, sive quod extrahat Animam.
8. In præparatione est Spiritus: posteà Animæ vehiculum.
9. Hoc Spiritu Terra calcinatur, trahendo Animam à Corpore.
10. Hic Spiritus etiam dicitur AQVA (VIVA) congelanda.
11. Post solutionem, in destillatione (extractâ Animâ) Spiritus in plurali dicitur.
12. Spiritus calcinando, Animam attrahit, quæ dicitur Aërea.
13. Spiritus, extractâ Animâ, vivificatus dicitur: Terra autem mortua.
14. Subtracto phlegmate, calor in Spiritu augetur, penetrat & coagulat.
15. Spiritu hoc calefacto, humor ipsius in sulfur convertitur, quod posteà potestatem habet coagulandi totum argentum vivum. Neq; hîc ulla est contrarietas in sensu.
16. In dispositione mediâ Tria facta sunt Vnum, scil. Corpus: Anima: Spiritus.
17. Spiritus humidus reportandus est in suum Corpus siccum, transmutando.
18. Transmutationis causa, est Granum spermaticale, transmutans humidum & calidum.
19. Spiritus congelatur in Sulfure, quod operatum erat de Terrâ.

20. Conge-

20. Congelatum & ſublimatum hoc dicitur LAPIS, ex quo Medicina.

ANIMA.

1. MEdium & Anima, participat inter mortem & vitam.
2. Anima à Spiritu ſuo ſeparabilis eſt.
3. Spiritus ſine Anima mortuus eſt.
4. Spiritu combuſto, Anima etiam fugit.
5. Anima recedente, Spiritus non poteſt vivificare ſuum Corpus.
6. Anima dicitur Aëreum ſpiſſum.
7. Spiritu ſeparatur Anima.
8. Spiritus Animam ſuam trahit à Corpore.
9. In fecibus eſt Sulfur congelativum Aquæ noſtræ in pulverem album.
10. Spiritus eſt Locus, in quo Anima continetur (ſcil. ſeparando).
11. Duo hi Spiritus ſuper terram ſuam miſcendi in extractione.
12. Spiritus per Animam (extrahendo) vivificatur.
13. Abſentiâ Animæ, Corpus mortificatur.
14. Spiritus eſt Medium quandoq; inter Corpus & Animam, quia Spiritus attrahit Animam à Corpore, mortificando Corpus: & poſteà reddit ſibi Animam, & reſuſcitat ipſum.
15. Recipe Animam Lapidis, & ſemina eam in terram foliatam noſtram albam, quæ eſt volatilis &c. ſcias, quod Anima retinet eam, ita quod poterit fugere, quando ipſa aſcendit in Cœlum, &c.

16. Spiritus

16. Spiritus (*suo modo*) est Vita Animæ, quando in se continet Animam.
17. Tertium (Spiritus) vocatur Medium, inter Corpus & Animam.
18. Spiritus continet in se Animam, per quam mortuum Corpus revivificatur.
19. Anima & Spissitudo Corporis, in Spiritu requiescunt invisibiliter simul.
20. Anima ligatur virtute & qualitate Corporis.
21. Etiam Anima est de naturâ & spissitudine Corporis ejusdem.
22. Extractio (Animæ) est causa Conjunctionis inter Corpus & Spiritum.
23. In terram foliatam, semina Animam, quæ est Tinctura totius Claritatis.

CORPUS.

1. Corpus vivificatur Spiritu.
2. Corpus de morte ad vitam reversum, clarum est, purum, album.
3. Spiritu Corpus ingresso, LAPIS dicitur Benedictus, post Resurrectionem scilicet.
4. Anima recedente, Spiritus non potest vivificare Corpus.
5. A Corpore extrahitur Anima per Spiritûs.
6. In absentiâ Animæ Corpus mortificatur.
7. Virtus sulfuris, ligat Corpus cum Spiritu, & retinet Corpus in Spiritu, & contrà.
8. Lapis PRETIOSVS, constat Corpore: Anima & Spiritu.

9. Spiritus

9. Spiritus, ut Medium, extrahit Animam à Corpore, & eidem conjungit.
10. Corporis virtutem recipit Spiritus.
11. Mors est causa glorificationis Corporis.
12. Corpus corruptione mortificandum paulatim, posteà ad vitam trahendum, dum perveniat ad medium Animalitatis & Corporalitatis: quod est Medium participare inter Animam & Corpus.
13. Etiam Spiritus dicitur Corpus, ratione Corporalitatis palpabilis, &c. & Localitatis.
14. Spiritus retinet in se de naturâ Corporis.
15. Mortuum Corpus revivificatur per Animam.
16. Anima ligatur virtute Corporis.
17. Etiam Anima est de naturâ & spissitudine Corporis ejusdem.
18. Corpus mortuum ex siti, cupit restaurare humorem.
19. Natura Corporis effusa est, per totam substantiam Spiritûs.
20. Sine Conjunctione Corporis & Spiritus, non fit Conceptio.
21. Terra & Corpus videntur Vnum & Idem.
22. Corpus mortuum induitur albis vestimentis.

FINIS.

Soli Deo Gloria in Æternum.

TE-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788378279/phys_0108
DFG

TESTAMENTUM NOVISSIMUM.

ARNOLDO DE VILLA NOVA

Attributum

De

LAPIDE PHILOSOPHORUM.

1. *Petra Philosophorum surgens (seu oriens) de Terrâ, elevatur, ut perficiatur in Igne.*
2. *Saturata potu Aquæ Clarissimæ, ad minùs horis duodecim intumescit visibiliter, ab omni parte.*
3. *Posteà, missa in vaporarium, moderatè calidum & siccum, & purificata ab extraneo vapore, & extenuata ab humore superfluo, fit idonea, ut ipsa frangatur.*
4. *Hoc facto, è purissimis ejus partibus, exprimitur Lac Virgineum.*

5. *Quod mox positum in Ovo Philosophico, tamdiu calefit per proprium calorem, tanquàm si hoc fieret, ad excludendum pullos, ut denudatum à varietate Colorum suorum, gaudeat cum suo compari, in albedine nivali.*

6. *Et tunc sine periculo resistit violentiæ Ignis, crescens usq; eò, dum tinctum colore purpureo, exeat è monumento, Regiâ cum cum potentia.*

INTERPRETATIO.

Versiculus Primus.

Videtur totum Opus breviter proponere, & duobus absolvitur Membris; *Membrum primum* hisce verbis includitur; *Petra Philosophorum de Terrâ surgens (sive oriens) elevatur.* Quibus verbis, & subjectum Materiale, & Opus primum, describuntur. *Petra sive Lapis* non quivis, sed Philosophorum, qui è Terrâ oritur: Ergò ex Terrâ educitur, sive Generaliter sumpto Terræ vocabulo, quod subjectum nostrum è Terrâ prosiliat & excrescat; sive sumpto eodem vocabulo specialiter, pro Terrâ illa Philosophicâ, è quâ peculiari Artificio, Lapis hic Philosophorum elevatur, elicitur & producitur, quod fieri in Opere

Opere Primo digestionis, ex Lullio & Petro Bono Ferrariensi, clarum est. Habitâ Materiâ ex quâ, Finis Primæ hujus Digestionis per voculam (*elevatur*, quæ significat in sublime tollere) denotatur, quando nimirum, absolutâ Digestione, pro plenariâ subjecti Purificatione, pars Volatilis è Terrâ sublimatione separatur, & hac ratione ad summum depuratur. *Alterum Membrum* hisce verbis absolvitur; *ut perficiatur in Igne*: Ubi non modo innuitur, Lapidem hunc sublimatum (qui à Philosophis generalissimo nomine Lapidis indigitatur) ad sui Perfectionem nondum perveniisse, & proinde ulteriore Perfectione, seu Nutritione opus habere, sed simul connectitur Opus secundum, seu Decoctio, quæ eo instituta est fine, ut in illâ Decoctione, quando manifestatur Occultum, simul etim perficiatur: Additur & Medium seu Instrumentum Perfectionis externum, quod est Ignis, dum videlicet Igne scribit Lapidem hunc elevatum perfici.

Versiculus Secundus.

IN Posterioribus Versiculis, quæ hûcusque brevi Periochâ, universaliter comprehensa fuerunt, ea, de unoquovis, Primo & Secundo Opere, uberiùs nunc ab Autore explicantur, & quidem Versiculo secundo describitur Operatio, quæ sublimationem præcedit, & est ad sublimationem Prædispositio & habilitatio quædam necessaria;

Saturata (scilicet Terra ex quâ) *potu Aquæ clarissimæ &c.* Quid Aqua illa clarissima, Aqua nimirùm animata, ex Lullio satis est manifestum. Terram, ut potu suo saturari, necesse fiat, requiritur hujusce Terræ ejusmodi dispositio, quâ avida fiat ad bibendum, alioquin nihil imbibitura, quain parte ab Autore Calcinatio Philosophica seu Exanimatio, vel & phlegmatis omnis, & Spiritûs & animæ separatio facienda innuitur: Aqua autem propter repetitas Rectificationes, Clarissima dicitur appositissimè. Saturari hanc Terram isthoc suo potu necesse est, quia non unâ aut alterâ imbibitione, sed pluribus tandem ita disponitur, ut major pars volatilis reddita & coagulata, sublimari, tanquàm Mercurius Vegetabilis, possit: Ideoque ad minùs requirit duodecim horas, id est, duodecim vices. Quid autem isthac saturatione seu duodenariâ Imbibitione efficiatur, & quodnam appareat Signum, ex quo habilitatio & idoneitas ad sublimandum cognoscatur, & ante quod signum frustrà, aut sine fructu magno, sublimatio tentetur, docet Autor in verbis; *Saturata scil. intumescit visibiliter ab omni parte*; hoc est, materia aquæ Clarissimæ nobilissima Terræ huic quasi infigitur, ut Terra ex hac Coagulatione, magis, magisque albescens & imprægnata, ubiq; excrescere, cum notabili & sensu visus perceptibili magnitudinis suæ augmento videatur. Quo apparente Signo, imprægnata est Terra, & porrò in primo Opere, nil nisi sublimatio, seu Partus Terræ est residuus.

Versi-

Versiculus Tertius.

HIc docet, quid apparente prædicto Saturationis Philosophicæ signo, ante Elevationem, præparatoriè quasi, perficiendum restet: nimirùm, non exspectandum esse, ut Aqua solvens aliqua (uti nonnulli imaginantur sibi) destillatione educatur, quod falsum esset & erroneum; cum Aqua Philosophica non sit manus madefaciens, humectansve, sed perspicua & sicca. Superesse quidem humorem aliquem, partim superfluum (quando nimirùm materia saturata, nihil amplius apponere sibi potest) partim omninò extraneum phlegmaticum, præsupponit Autor. Diligenter autem monet, omnem illum utrumq; humorem eousq; esse separandum, ut Materia prorsus siccata, frangibilis, friabilis, aut conteribilis reddatur: Neque enim etiam, uno aut altero tantùm illo humore superfluo, aut heterogeneo separato, commodè ad sublimationem procedi potest, quin, nondum amotis hisce & vaporosis humoribus, citra periculum fractionis vasis, hæc, quæ restat, sublimatio, perfici non posset. Notandum ergò primò, Duplicem poni Humorem amovendum, quorum unus est merè Extraneus, neque cum Radice viscosâ participans: Alter verò Participans, sed quia omne siccum, ultra naturæ suæ capacitatem, & ultra naturalem soliditatem, nihil sibi perfectè apponere potest, ideoque tandem potest esse superfluus: Utrumque removendum docet Autor, ante susceptum sublimationis

Opus, ex causis dictis, quod Vnum; Secundò, omne hoc, paulativo Igne perficiendum, unâ ratione, ne vasa scindantur, humore aquoso defluente, neque paulatim evaporante: alterâ, ne unà ascendat Thesaurus Philosophiæ, & in concavo Alembici, Nostra Aqua in Aquam resolveretur, quod sanè nullius esset utilitatis: Tertio: subjicitur ante sublimationem, Opus Contritionis, ubi dicit Autor, materiam fieri aptam comminutione aut contritione. Siccatam enim materiam eximendam, & subtiliter conterendam ante sublimationem, suadet Lullius in Apertorio. Et hûc usque, quæ Versiculo Tertio dicuntur: Hisce videlicet factis, nec ante, materiam fieri contritioni aptam & idoneam.

Versiculus Quartus.

SEquitur Versiculo Quarto, Pars primi Operis ultima, quæ in Sublimatione consistit, quamq; Versiculus Primus Elevationem, dissertis verbis, appellavit, Autor nunc eam, Lactis Virginei vocat Expressionem, hisce verbis; *Hoc facto, è purissimis ejus partibus, exprimitur Lac Virgineum.* Intelligit autem expressionem Ignis, h. e. ut vi suppositi Ignis, Materia sublimando ab inferioribus & crassioribus materiis, quæ vasorum generationis, & extrinseci agentis sulfuris loco fuerunt, liberetur & separetur, sicque Materia, aut Lapis Philosophicus, purissimus, & ab omni fece purgatissimus, ortu & partu Virgineo, ascendat. Lac, hæc

hęc materia, Virgineũ vocatur, primò, ob candidissimum Lactis colorem, deinde etiam eo sensu, quo Lac Philosophorum, Coagulum suum proprium in se continens, in Capite de Coagulo Lapidis, à Petro Bono Ferrariensi, in Margaritâ suâ Novellâ, describitur. Jam igitur ortus & natus est Lapis ille à Philosophis quæsitus, & Philosophicus, (uti ab initio hujus Testamenti) tanquàm generatus à Philosophis propriè dicitur: qui omnia in se non minus continet sibi necessaria, quam Lac, quod in se continet butyrum, caseum & serum, uti supra ex Bono Ferrariensi dictum fuit.

Versiculus Quintus & Sextus.

CReato igitur & sublimato seu elevato de Terrâ, isthoc Philosophorum Lapide, quia ille Volatilis adhuc est & crudus, suâ indigens Putrefactione, Nutritione, Fermentatione & fixâ illâ perpetuâ Conjunctione, partium suarum componentium: sequitur jam Versiculis Quintò & Sexto, Opus Artis Secundum, quod Unico vase, Igne moderato, eoque continuo, perficitur, in quo successio variorum ex ordine colorum à Philosophis describitur, quod Opus iterum in Duplici consistit Magisterio, licet Operatio in se sit Unica. Operationum harum seu gradûs Magisterii hujus primi Terminatio est, decursu colorum variorum absoluto, usque ad perfectissimam Albedinem, postquam in regendo Igne (omnibus jam in fixione existentibus) nullum amplius subest periculum:

Altera Operatio seu gradus, Igne aucto, tendit tandem ad perfectissimam rubedinem, & in hâc, Totius Operis absolutionem. Quæ verò duobus postremis dicuntur Versiculis, meliùs explicari non possunt, quam verbis è Libro Saturni depromptis, ubi in secundâ operatione omnia apparentia signa suo recensentur ordine.

Accommoda benè Ignem in furno, & fac, quod tota materia solvatur in Aquam: deinde, rege lento Igne, donec major pars vertatur in pulverem Nigrum (quia, quando Lapis noster est in vase nostro, & Materia nostra, sentit Solem nostrum, statim solvetur in Aquam: Ista autem Aqua salit in caput vasis per fumum, id est, per ventum seu per aërem: & postea iterum descendit ad fundum vasis, & solvit materiam, & reliqua paulatim in aquam, & sic simul est *Sublimatio & Dissolutio Lapidis*, & utrumque, sc. Ascensus & Descensus, dicitur Dissolutio). *Postea incipit ingrossari & in Terram converti: & paulatim Terra stans super aquam, descendit ad fundum vasis, & efficitur nigra & fœtulenta* (& tum vocatur *Putrefactio*): *Post verò longum tempus, Terra nigra, calore Solis & aquâ ablutionis, remittit colorem & odorem fœtidum* (& tunc dicitur *Ablutio seu Mundatio*): *Deinde verò Aqua diminuitur, & Terra per temperatum solem desiccatur* (& tunc vocatur *Cerasio*, quia tunc tota Materia convertitur in Terram, si benè scis operari: Et in hoc tota vis Regimis consistit, ut sc. convertatur in Terram: Conversâ verò totâ Materiâ in Terram strictam, stantem, nec se fundentem, vocatur tunc *Congelatio*.)

Et

Et usq; ad hoc tempus agendum est cum maxima cautelâ, quia in hoc consistit quasi Totum Magisterium; Vnde Hermes: Vis ejus integra est, si versa fuerit in Terram. (Totum enim Magisterium non est aliud, nisi facere Solutionem rectam & Congelationem perfectam. Materiâ verò congelatâ, & per majorem solis decoctionem perfectè desiccatâ, incipit dealbari & fundi, ut Oleum album, & tunc dicitur *Calcinatio*; & quando pervenerit usque ad perfectam albedinem, ita quod illa Albedo sit super omnes albedines, tunc vocatur *Dealbatio*, & tunc Lapis est perfectus ad Album. Quo facto, continuandus est Ignis, quousque Lapis non varietur amplius de Colore in Colorem, sed teneat firmum & invariabilem colorem & rubicundissimum: & tunc vocatur *Fixio*. Et sic Lapis noster Physicus perfectus & absolutus est ad Rubeum)

Et hæc est etiam Interpretatio Versiculi Quinti & Sexti, in supra posito Testamento Arnoldi Villanovani.

* *
*

Ne Pagellæ aliquot vacarent,

Auctor Commentationũ superiorum, Quæstiunculas quasdam Chymicas, inprimis Lapidem Philosophorum concernentes, quæ ex unâ Principali Quæstione, reliquarum harum Quæstiuncularum quasi Matre, in Tractatu de Panaceâ Hermeticâ cap. 7. Vtrum scil. Lapidis Philosophorum, & Auri Naturalis, una, eademque, & numero & qualitatibus communis sit Materia? propositâ & pertractatâ, resolvi & decidi possunt, proponit.

Quæstiuncula Prima.

QUæritur, Cur ex unâ & eâdem datâ materiâ, altera in Aurum tantùm, altera verò in Lapidem proficere debeat? Respondetur; Quia non totum Aurum est materia, quæ est in Lapide, sc. minutissima tantùm illius particula quædam: reliquum autem corpus terra est Mercurialis: Ideò Aurum participat tantùm, de perfectione illius particulæ minutissimæ, non aliter, ac si Mercurio crudo currenti, minutissimam, Lapidis in projectione, admiscuisses particulam, & inde totum argenti vivi corpus, in Aurum esset tinctum & transmutatum.

Qua-

Quæſtiuncula Secunda.

QUæritur, Cur tanta virtus accedat materiæ Lapidis? Reſpondetur; Id etiam, ex allegatâ Principali Quæſtione, patet. Primò enim major eſt puritas & ſubtilitas in materia Lapidis, quam in materiâ Naturæ: Semper autem nobiliores formæ, nobilioribus materiis conjungi ſolent. Secundò: minus eſt impedimenti, in materia Lapidis, ut à quâ omne craſſum, & terreſtre opacum prorſus eſt ſeparatum & eliminatum. Videmus enim etiam in Vegetabilium genere, omnia feliciùs germinare iis in agris, qui Zizaniis carent, quam in iis, qui Zizaniis obſiti ſunt. Tertio: Natura habet calorem valdè ſimplicem, & vix perceptibilem: Ars verò, pro extrinſeco Igne, majorem habet calorem, & calor materiæ internus, calore externo accenſus, ſine ullo obſtaculo, ſui poteſt ſumere Incrementum: quod in in opere Naturæ ita non eſt.

Quæſtiuncula Tertia.

QUæritur; Cur non eadem ſit materia in Lapide, quæ in Auro, & viciſſim? Reſpondetur, hæc quæſtio æquè jam ſoluta eſt in Principali Quæſtione: quod nimirum non differat utriuſq; materia ab invicem, ratione radicis & ſubſtantiæ, ſcil. ratione puritatis, & impuritatis, craſſitiei & ſubtilitatis &c. Unam enim habent communem radicem: niſi, quod noſtra, ſeu Philoſophica, eſt per artem ad ſummum purgata & præparata: altera verò, illâ præparatione, ob Naturæ impotentiam.

tentiam, destituta est. Quod si Natura, materiam suam æquè ac Ars, purgare & ad summum purificare posset, tum non Aurum, sed aliud Auro longè melius, ipsa quoque Natura, productura esset.

Quæstiuncula Quarta.

QUæritur: Quomodo pura forma, absque materia persistere possit? Ad hoc etiam in Principali Quæstione responsum est: quod scil. non secundum Aristotelis definitionem, sed respectivè, ad imperfecta metalla perficienda, sese habeat Lapis, tanquam forma ad materiam: Informat enim corpora imperfecta, forma perfectionis.

Quæstiuncula Quinta.

QUæritur: Cum Lapis perfectus, igne fiat incommutabilis, quâ ratione in metallum mutetur & ipse, in projectione, in Argentum vivum factâ? Respondetur. Non mutatur in deterius, sed perficit, sua perabundante perfectione, illud Argentum vivum, & eidem alium colorem inducit: Rubeus enim color, albo mixtus, citrinitatem efficit. Quod si autem ex jam tincto, & in Aurum converso Argento vivo, quis animam iterum abstraheret: tum residua maneret alba Argenti vivi substantia, seorsim autem extracta Anima, iterum in pristina sua forma Tincturæ persisteret. Manet ergò in projectione, id quod erat: tantùm facta ruboris extensione, in plurimum albicantis corporis Mercurialis. Neq;

fit

ſit ex Lapide Metallum, ſed in Metallo imperfecto, per Lapidem forma mutatur. Eſt ergò Lapis in tincto metallo, non autem, uti metallum.

Quæſtiuncula Sexta.

QUæritur; In quo communicet Lapis cum Argento vivo, cui admiſcetur? Reſpondetur. In ſubſtantia mercuriali, quæ non minus eſt in argento vivo, quam in Lapidis materia, tantùm quod differunt puritate, & impuritate, coctione, & cruditate, ſubilitate, & groſſitie. Lapis autem, ob ſui ſpiritualem ſubtilitatem, in projectione ſubitò, totam Argenti vivi ſubſtantiam pervadit, & quia unius ſunt naturæ, & accidentibus tantùm differunt, ideò, tanquàm aqua aquæ miſcentur, & uniuntur inter ſe perfectè.

Quæſtiuncula Septima.

QUæritur; In quo differat Lapis & Aurum, cum Utriuſque una & eadem ſit materia? Reſpondetur. Quouſque ſint in Materia unum & idem, Aurum & Lapis, id in Principali Quæſtione ſufficienter dictum eſt, ut repetitione opus non ſit. Semper autem recordandum, unam & eandem materiam in uno puriſſimam, in altero verò cum terreſtreitate aliqua, non quidem impura, ſed craſsa, mercuriali tamen, adhuc conjunctam eſſe: Unde metallum, neque Lapidem, oriri ex iſthac conjuncta materia, neceſſe eſt: Econtrà cum illa altera, quæ Lapidis, eſt materia, omni ejuſmodi terreſtreitate ſit deſtituta, omnesq; illius

illius Mercuriales & sulphureæ Partes, constent tantum ex materiâ Mercurii & sulfuris limpidissima, perspicua & diaphana (instar gemmarum,) ideò ex hac materia non potest fieri metallum, quod sub malleo ductile esset; Caret enim ea materie crassitie & opacitate, quæ ex Mercurio & Sulphure facit Metallum, & differentia est quasi specifica, inter Metallum & Lapidem. Quod si possibile esset, Metallis adimere dictam Terrestreitatem, tum magis gemmis, quam Metallis, similes redderentur: Usui autem humano non inservirent: Jam enim ductibilia, & sub malleo extensibilia non essent. Sicuti in ipso videmus Lapide, qui dicta terrestreitate carens, varias, in colorum mutatione, gemmarum translucentium species effigiat, donec tandem in Lapidem rubeum, seu Carbunculum potiùs terminetur. Ideò & gemmam refert, neque sub malleo ductibilis aut extensibilis, sed instar gemmæ minus duræ, frangibilis est atque friabilis, adeò, ut, si in projectione, plus justo de Lapide, cum tingendo metallo admisceatur, tum metallum illud non in aurum, sed in materiam frangibilem, (extra metallicam speciem) convertatur, atque ut in Auri metallicam naturam adducatur, plus de imperfecto metallo illi adjungere necesse est. Lapis autem in se nunquam fit malleabilis, & quò sæpius multiplicatus, eò semper (post liquationem, in qua in massam pellucidam pulvis coit) frangibilior redditur: Projectus etiam super Aurum, illud ipsum reddit frangibile, & malleationis naturam ei adi-

ei adimit, propterea, quod de mero & pellucido Mercurio, illi plus juſto, in Lapidis projectione, acceſſerit. Ideò ſi maximè quis Philoſophorum perfeciſſet Lapidem: eidem autem Artifici, Compoſitionis illius alterius metallicæ ſubjecta deeſſent, hoc eſt, nullum in rerum natura imperfectum metallum extaret, tum nobis Lapis ille perfectus (quoad metallorum tranſmutationem ſc.) prorſus inutilis eſſet. In ſe enim perfectus quidem eſſet: at nulli alteri alicui imperfecto metallo, de ſua perfectione, communicare aliquid (tanquàm non extantibus, & non exiſtentibus) poſſet. Quod ſi verò Auro (ſi illud ſolum inter metalla extaret) Lapis in Projectione commiſceretur, tum Aurum ipſum frangibile redderetur, uti ſupra dictum eſt: & ita nemo inde ditari poſſet. Quod ipſum etiam indigitare voluit, Petrus Bonus Ferrarienſis cap. 23. Paragrapho ultimo ita dicens; Amplius dicimus; quod ſi nullum metallorum reperiretur, niſi Aurum ſolum, quod Ars Alchemiæ vana eſſet; quia cum Ars non poſſit generare Aurum ex ſuis principiis, ſicut Natura, ſed ſolùm, quæ imperfecta ſunt, perficit, ideò ſublatis imperfectis, annihilatur Alchemia. Nihilominus tamen Ars ſuum Lapidem generaret, ſed non haberet materiam, ſuper quam projiceret, ad Aurum generandum. De tali autem Lapide non curat Ars, niſi in quantum ex metallis imperfectis efficit Aurum &c. Quibus Petri Boni verbis, non modò ſupradicta probatur ſententia, ſed & inde videmus, ſi maximè, ea nobis deſit materia (terreſtri

testri crassæ scil. materiæ mixta) ex qua metalla gignuntur; Arte tamen puriorem quandam dari posse materiam, ex qua aliquid, metallis longè nobilius, Lapis videlicet Philosophorum, possit procreari: ex materia quidem metallicæ naturæ omninò homogenea, & ex communi radice prognata, magis tamen, & multo quidem magis, præ illa altera, purificata & subtiliata.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788378279/phys_0124
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788378279/phys_0125
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn788378279/phys_0126
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788378279/phys_0127
DFG

ſit ex Lapide Metallum, ſed in M
cto, per Lapidem forma mutatur
in tincto metallo, non autem, u

Quæſtiuncula S

QUæritur; In quo commut
Argento vivo, cui admiſce
tur. In ſubſtantia mercuriali, q
in argento vivo, quam in Lapidis
quod differunt puritate, & impu
& cruditate, ſubilitate, & groſſ
tem, ob ſui ſpiritualem ſubtilitat
ne ſubitò, totam Argenti vivi ſu
dit, & quia unius ſunt naturæ,
tantùm differunt, ideò, tanquàt
ſcentur, & uniuntur inter ſe per

Quæſtiuncula Se

QUæritur; In quo differat
cum Utriuſque una & ea
Reſpondetur. Quouſque ſint i
& idem, Aurum & Lapis, id in
ſtione ſufficienter dictum eſt, ut
non ſit. Semper autem recorda
eandem materiam in uno puriſſi
verò cum terreſtreitate aliqua,
pura, ſed craſsa, mercuriali tam
junctam eſſe: Unde metallum,
oriri ex iſthac conjuncta materia
contrà cum illa altera, quæ Lapi
omni ejuſmodi terreſtreitate ſit d

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788378279/phys_0129
DFG